

Werk

Titel: Thesaurus Iuris Executivi Rutgeri Rulant, Icti. Quadripartitus

Untertitel: Quarum Pars Prima exhibet usum verum executivum, mediante Brachio Eccles lastico, Seculari, Regio, Et Militari, Eorumque imploratione. Secunda, exactam praecipuarum Rerum Civilium tractationem ... Tertia, perfectam manuductionem Executioni Rerum Criminalium inservientem. Quarta, Decem Classes Relationum, Actorum ac Votorum Cameralium praedictis materiis accommodatarum ... Atque Ita His Quatuor Partibus, Non Solum Executionis Materia fructuosissima continentur, sed & diversae per totum ius privatum dispersae materiae videlicet ...

Verlag: Author; Weissius

Ort: Francofurti ad Moenum; Francofurti ad Moenum

Jahr: 1624

Kollektion: VD17-Mainstream

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN755514025

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN755514025>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=755514025>

LOG Id: LOG_0017

LOG Titel: Cap. CLXXI. - Cap. CCCXXVIII.

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

dit Bald. in l. fin. col. 3. ff. de feriis. & Abbas Panor. & Feli. in c. consuluit, extra de offic. deleg. Ratio autem est, ut supra saepe diximus: quia lites finire & expediri à Republica est, ut latius ibidem prosequitur Ripa, num. 61.

CAP. CLXXI.

ARGUMENTVM.

Officium suum Iudex non rogatus impartiri potest, rescendo positiones superfluas.

SUMMARI.

- 1 Iudex ex suo officio potest articulos rescere & positiones superfluas.
- 2 Iudex articulos superfluos, interrogatoria & alia ex suo officio rescere potest.

Centesimoquadagesimo sexto limitatur, quia Iudex ꝑ ex officio suo, ut causa citius finiatur, & leuior impensa in ea fiat, ex suo officio articulos rescere potest, superfluasque positiones & impertinentes, ut inquit Specul. in tit. positio. §. 10. in prin. id quod etiam de superfluis ꝑ interrogatoriis dicendum est ut inquit Ripa in dict. l. 4. §. hoc autem iudicium, nu. 62, per ea, que voluit Speculator in tit. de teste §. iam de interrogatoriis, in princ. Id autem hoc loco diligenter animaduertendum est: nam multis in locis extat consuetudo, ut processus non coram Iudice, sed coram Actuario, Iudice nihil de actiatis sciente: sed ei iam perfectum & ante sententiam paucos dies offertur. Hæc enim consuetudo & stylus curiæ valde dammandus est, quandoquidem ut ex supradictis apparet, Iudex in multis quæ in processu fiunt, partibus non leui adiumento esse potest, præterquam quod nimium à bene actuariis relaxari videntur.

CAP. CLXXII.

ARGUMENTVM.

Officium suum non rogatus Iudex impartiri potest, expectando Citatum aliquantisper.

SUMMARI.

- 1 Iudex ex suo officio eum, qui in iudicio non compareret die indicta & ad quam citatus est, tres vel quatuor plures expectare potest, ac etiam pauciores.
- 2 Mora modici temporis parum nocere potest.
- 3 Mora paucorum dierum nihil obligationis minuit.
- 4 Mora parua, mora non videtur.
- 5 Protestatio vim citationis obtinet.

Centesimoquadagesimo septimo limitatur, quia Iudex ꝑ ex suo officio eum, qui non compareret in iudicio die indicta & constituta: id est ad quam citatus fuit, tres vel quatuor dies ultra expectare potest. l. & si post tres. ff. si quis caurio, vel ad minus ad diem crastinam remittere potest, ut habetur in c. consuluit, extra de offi. delegat. Quandoquidem mora ꝑ modici temporis paruum & forte nullum damnum continet. l. si debitori. ff. de iudic. 3 nihilq; ex obligatione paucorum ꝑ dierum mora minuere potest. l. si in lege §. colonus. ff. locati. Vnde

notat glos. paruum moram non esse in consideratione, multosq; alios textus concordantes allegat. Tiraquel. in tit. de retract. ligniagier. §. 8. glos. 2. num. 6. & addit rex. in l. si ab hostibus. §. fin. ff. ex quib. caus. maior. & in l. 1. §. qui presens, ff. de verb. obligat. & in l. continuus, in prin. eo tit, & in l. duos. §. duo. ff. de duob. reb. & in l. cum antiquitas. C. de testam. & in l. plerique ff. de ritu nupt. & in l. non dubium. C. de repud. & in c. potuit. extra de loca. & idem voluit Alber. in l. 1. C. de de verb. signi. Et ex nonnullis dictarum legum colligit, ꝑ paruum moram, moram non esse. Animaduertendum tamen est, dum Bal. in cons. 268. factum tale est, ad instantiam, post medium, volum. 1. ut refert etiam Tiraquellus eod. in loco, voluit illud quod dicimus Iudicem posse paucos dies expectare eum, qui non compareret, in eo qui citatus fuerit, locum habere: secus vero in citante, per tex. in l. ut vitæ qua. §. fin. vbi notant etiam Dynus & Bartol. ff. quod vi, aut clam. ac etiam in eo, cui protestatio facta sit, cū protestatio vim ꝑ citationis obtineat: & præsertim quia, ut ipse subdit, citans iam in præfixo termino consentit, quem ipsemet apposuit: & ideo ei prorogari non debet. c. oblata, extra de appell. & idem satis videretur voluisse iterum Bal. in l. si ea, col. fin. versic. ult. nota. C. qui accus. non poss. & Imola in d. c. consuluit, per tex. in l. & post peremptorium. ff. de iudic. Hæc igitur, cū sit pulchra & notabilis limitatio ad dictum c. consuluit, signanda & addenda aliis est, quas notat ibi Felin. qui illius mentionem non fecit, nec Alex. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, n. 28. ff. de damno Infecto.

CAP. CLXXIII.

ARGUMENTVM.

Officium suum Iudex non rogatus impartiri potest, ne tempus frustra conterat.

SUMMARI.

- 1 Iudex ex suo officio potest Partium cauillationes repellere.
- 2 Iudicis interest, in vanum non laborare.

Centesimoquadagesimo octauo limitatur, quia Iudex ꝑ ex suo officio, quotiescunq; culpa vel defectu partis contingere potest, ut Iudex in cassum laboret, & tempus frustra conterat, partium cauillationes reicere potest: & eam viam eligere, qua causa legitime expediri possit: quandoquidem ꝑ iudicis interest in vanum non laborare, ut voluit glos. inc. 1. de electio. in 6. & tradit Berous in cons. 5. n. 7. vol. 3.

CAP. CLXXIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIVM.

- 1 Mora vbi periculum est allatura, Iudex ex suo officio potest ad expeditionem cause procedere.

Centesimoquadagesimo nono limitatur, quia vbi ꝑ mora periculum est allatura, Iudex ex suo officio, etiam contra regulas iuris, ad causæ expeditionem procedere potest, ut inquit August Berous in dicto cons. 5. num. 8. vol. 3. per tex. in c. si, extra de feriis, & in l. fin. C. eodem tit.

CAP.

CAP. CLXXV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio in summaris dilationes reiicere & cauillationes litigantium excludere potest.

Centesimo quinquagesimo limitatur, quia Iudex ex suo officio etiam in summaris causis pro celeriori causæ expeditione iuris dilationes, breuiiores, vt supra late diximus, reddere potest, litigantiumq; cauillationes excludere, atq; resecare, vt habetur in *clēm. dispēdiōsam, cum ibi notatis, de iud. & in d. clem. sape de verb. signif. & tradit August. Berous in d. cons. 5. n. 9. vol. 3. & ibi infert ad examē testiū, de quo tamen supra satis late diximus, merito non est repetendū.*

CAP. CLXXVI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Dilatio licet frustratorie non sit danda, sed solum necessitate exigente, tamen Iudex potest omnes terminos vno contextu statuere.

Centesimo quinquagesimo primo limitatur, quia licet dilatio frustratorie danda non sit, sed solum cum necessitas exigit. *dict. l. 1. vbi notant Bald. Salyc. & alii. Cod. de dilat. artamen vbi Iudex viderit aliquid ad litem procrastinandam fieri, potest ex suo officio occurrere, & vno contextu omnes terminos statuere, videlicet ad ponendum, articulandum & probandum, vt instantia currat, vt inquit Ias. in l. properandum. in prin. n. 14. C. de iudic. & tradit Lancel. lib. 1. cap. 9. de pratore. §. 2. de offic. prat. in causis civilibus, nu. 12. per ea, qua voluit Felin. in c. vltra tertiam, nu. 5. col. 3.*

CAP. CLXXVII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio potest vnum agere, & aliud fingere.

Centesimo quinquagesimo secundo limitatur, quia Iudex ex suo officio vnum agere potest, & aliud mente fingere, vt iustitiam administrare possit, vt inquit Ang. per illum tex. in l. 1. §. dolum, nu. 3. ff. de dolo, vbi voluit antea glos.

CAP. CLXXVIII.

Officium suum non rogatus impartiri potest Iudex, etiam in his quæ post litem contestatam emergunt.

SUMMARIUM.

1 Iudex officium suum etiam in iis, quæ post litem contestatam emergunt, impartiri potest.

2 Iudex potest condemnare victum in fructibus non petitis & perceptis post litem contestatam.

3 Fructus post litem contestatam perceptos, vt restituantur, Iudex ex suo officio condemnare potest.

4 Officium Iudicis mercenarium deseruit etiam emergentibus post litem contestatam.

Centesimo quinquagesimo tertio limitatur, quia Iudex suum officium in iis etiam, quæ emergunt post litem contestatam impartiri potest. *l. adiles. §. item sciendum. ff. de adilit. edicto. & tradit Ripa in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, num. 63. ff. de damno infecto. Vnde etiam est, quod Iudex victum in fructibus non petitis condemnare potest, vt voluit Bald. in l. 1. col. fin. C. de fructi. & liti expens. Id autem in fructibus perceptis post litem contestatam, etiam si sint percepti post conclusionem in causa, verum esse arbitratur, vt inquit Bal. in l. cum propria. in fin. C. si quis alteri vel sibi. Ratio esse videtur, quia officium Iudicis mercenarium etiam emergentibus post conclusionem in causa deseruit, vt ipse ait post Bar. in leg. si tertius, §. officium, ff. de acquir. possess. & de hoc tradit Alexand. post alios in l. si marito. §. fin. ff. soluto matrim.*

CAP. CLXXIX.

ARGUMENTUM.

Officium suum Iudex non rogatus impartiri potest, condemnando victum in expensis.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio potest condemnare etiam victum in expensis non petitis.

3 Iudex an ex suo officio possit condemnare etiam ad expensas post litem contestatam.

3 Cautela vt petatur condemnari in expensis factis vel faciendis.

4 Officium Iudicis quousq; duret.

Centesimo quinquagesimo quarto limitatur dicta conclusio, quæ Iudex ex suo officio potest victum in expensis non petitis condemnare, vt voluit Bar. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium vbi refert Ripa, num. 81. Et ratio, vt ipsi dicunt, ea est, quod vt in præcedenti limitatione diximus in emergentibus post litem contestatam Iudex officium suum non petitis impartiri potest, vt sequuntur etiam communiter Doct. d. §. hoc autem iudicium, & idem ait tenere Bar. in l. non quicquid. ff. de iud. & Bar. Salyc. & recentiores in d. l. properandum. §. fin. autem alterutra. C. de iudic. & glos. Panorm. & alii in c. fin. extra de rescrip. & Ias. late in §. omnium, col. 19. Instit. de actio.

Verum quia ratio huius communis conclusionis ostendit eam in expensis factis post litē cōtestatam locum habere merito ibidem Ripa, nu. 82. quaerit, an ad expensas factas ante litis contestationem extendatur. Et huius conclusionis facilioris declarationis gratia inquit in c. finem litibus, extra de dolo & contumac. non extendi existimare, vt voluit antea Speculator in titul. de offic. iudic. §. de seruis, verficul. post litem. & idem tenent Alexan. & Ias. in d. l. properandum §. fin. autem alterutra. At contrariam opinionem subdit tenuisse Iacob. de Arena, Cyn. & Bald. in l. sancimus. C. de iudic. & Imol. in l. fin. ff. de iudic. & Salyc. in dict. §. fin. autem alterutra. & Imol. in

o c. sape

I Iudex ex suo officio potest quodcumque ad veritatem ipsam indagandam quodcumque interrogare.

Centesimoquingentesimoquinto limitatur, quia Iudex ꝑ quodcumque ad veritatem ipsam indagandam interrogare potest etiam post conclusum in causa, & in causa summaria, vt inquit Ioannes de Arnono *in singul. 36. per ea, quæ voluit gl. in verbo, interrogabit, in clem. saepe, de verb. signif.* Id tamen subdit ibidem Arnonus nõ procedere ad nouam fundandam intentionem, sed ad declarandam iam deductam, vt voluit Innoc. *in additione ad c. cum Ioannes extra de fide instrum.* dum inquit ad declarationem iam actorum, non autem nouarum rerum interrogare posse. Vbi etiam Card. Zabarella in 2. col. inquit, dictum illud Innoc. notandum esse, & pro eo consuluit *in cons. 72 sigillatim ad singula.* Et id inquit memorię mandandum esse, quia saepe de eo dubitari contingit. August. autem Berous in c. 1. nu. 60. *extra de iud.* inquit declarando & ampliando huiusmodi dictum Iudici hanc interrogationem reorum Iudici non solum ad remouendas exceptiones concessam esse sed etiam ad hoc vt alia exceptiones dilatorię remoueantur, quæ ad iudicium ipsum differendum proponuntur, vt sunt procuratoriæ. *l. licet. C. de procur. & tradit gl. in c. 1. versic absentia, de electio. in 6.* Sunt etiam his similes exceptiones iudicis recusatoriæ. *l. apertissimi, iuncta l. fin. & ibi tradunt Scribentes, & presertim Saly. C. de iudic.* Huiusmodi enim, vt alias in praxi iudiciaria diximus, exceptiones declaratoriæ & dilatoriæ in principio iudicii ante litis contestationem proponendæ & cognoscendæ sunt. *ca. pastoralis, extra de exceptionib. & l. fin. C. eo. tit.* Ab his tamen excipitur exceptio excõmunicationis: quæ licet dilatoria sit, quodcumq; tamen & in qualibet iudici parte propter periculum animarum opponi potest, vt est *tex. in c. exceptionem, extra de exceptio. iuncto c. si quis frater, cum similib. 11. q. 3.* Præterea hanc conclusionem sequitur Prosper Carauita *super Ritibus magnæ curiæ, Ritu 93. num. 1. & tradit Bar. in l. vbi cunq; versic. deinde quæro, nu. 19. ff. de interrog. actio. & gl. in c. fin. de confess. & in c. quoniam contra, in versic. interrogationes, extra de probatio.* Hoc autem loco ad ea animaduertendum est, dum Lancel. *in sua practica, lib. 1. c. 9. de Pratore. §. 2. de offic. prat. in caus. ciuilibus, nu. 7. autoritate Barbat. de qua meminit Maranta in Speculo aureo, in 9. distinctione, nu. 28. & 30.* inquit in omnibus casibus, in quibus dicitur Iudicem posse ex officio interrogare, intelligendum esse, si voluerit, compelli autem non posse: nec ob id facere litem suam, cum dicere possit æquitatē quæ eum mouere potuerit, non subesse. *argu. l. non quicquid. ff. de iudi. & idem tenet Ias. in d. l. admonendi, n. 67. ff. de iureiur.* Animaduertendum præterea est, prædictam conclusionem procedere, vt tradit Specul. *in §. 1. in fi. in tit. de interrog. actionib.* in eo, qui in iudicio conuenitur: nam ille solus, non alius interrogari potest. *l. si sine. ff. de interrog. actionib.* De aliis autem limitationibus & declarationibus vide Lancel. *in loco supra relato, & Hippol. Marsil. in l. 1. §. fi. nu. 43. ff. de quæst. & limitatur, nu. 44.*

Cap. saepe, extra de appellat. & Butr. & Panorm. in d. c. finem litibus, Mouentur aurem in primis ex eo quod impensæ factæ ante litem contestatam officio iudicis debentur, vt inquit gl. in l. terminato. Cod. de fruct. & litium expens. Merito satis rationi consonū videtur, cum militet eadem ratio, ne lites ex litibus oriantur, vt Iudex in eis officium suum non petiitum impartiri possit. *d. l. terminato. in fi.* Præterea illam opinionem quod etiam ad expensas antea factas extēdatur, firmat tandem post longam discussionem Ripa eodem in loco: nam expensæ ante litē contestatam factæ non minus ad victoriam consequendam factæ fuerūt, quam illæ quæ deinde subsequuntur sunt, & ideo diuerso iure censeri non debent, tum quia ab eadem causa procedūt, tū etiam quia inter se connexæ sunt & cõnexorum idem est iudicium. *l. eum actum, ff. de negot. gest. & c. translato, extra de constit.*

Quo vero ad aliam Bart. conclusionem, quod Iudex in expensis non petitis, condemnare non teneatur. *l. nam quicquid. ff. de iudi. eam quoq; sequuntur communiter Docto. excepto Saly. in d. §. fin. autem alterutra, per illum tex. in verbo, oportet directum in iudicem.* Secundo quia constat Iudici victum in expensis etiam de æquitate habita relatione ad acta. *l. 1. C. de sport.* Ergo ex iis, quæ sibi vt iudici nota sunt, supplere debet, *iuxta gl. in l. 1. c. qui. & aduers. quos.* Tertio mouetur, quia expensarum condemnatio publicam utilitatē concernit, vt litigantium temeritas compescatur. *l. eum quem temere. ff. de iudic.* Ergo officium suum non petiitum interponere tenetur. *l. congruit. ff. de offic. presid.* Verum Ripa eodem in loco eius particulares responsiones omittendo dicit ad effugiendas has controuersias, cautelam ꝑ adhibendam esse, vt in calce libelli si sit actor: vel in calce exceptionis, si sit reus, aduersariū expensis factis & faciendis condemnari petatur, vt quotidie videmus practicam obseruare, et peritos procuratores apponere: & eo casu inquit, quod si iudex in dictis expensis condemnare omiserit, posse eum tota ea die, qua sententia lata est, petere Iudicem expensarum condemnatione supplere: & Iudicem supplere teneri, propterea quod ꝑ tota ea die eius officium quo ad expensarum condemnationem durare intelligitur. *l. Paulus, la. 1. ff. de re iudic. De his tradidi ego in mea praxi iudiciaria, in §. 32. limit. 54.* Non est tamen omittendum in hac eadem conclusione, Decium *in c. saepe, num. 16. extra de appel.* tenere iudicem condemnare debere in expensis factis ante litem contestatam, vt voluerunt Imola & Abbas *ibi, & Bal. post Pet. in d. l. sancimus, in 8. quæst. & Perusini ibidem in quæst. 15.* Verum subdit Decius *ibidem,* contrarium videri in expensis factis ante litem contestatam, vt voluit Bartol. *d. l. 4. §. hoc autem iudicium, & late eam tuetur & sequitur Alex. in d. l. properandum §. fin. autem alterutra. C. de iudic. & sequitur Abbas in d. c. saepe contingit, num. 24. extra de appel.* Et sic videtur magis comunem opinionem esse, vt Iudex in expensis ante litem contestatam factis, nisi petantur, condemnare non possit, & ideo practici illam cautelam petendi obseruant.

CAP. CXXX.

Argumentum est in Summario.

CAP.

CAP. CLXXXI.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, reuocando attentata sine libello.

S V M M A R I A.

- 1 Iudex ex suo officio de plano & sine libello reuocat attentata in quacunq; parte iudicij.
- 2 Lis super attentatis non contestatur.

Centesimo quinquagesimo sexto limitatur, quia Iudex ex suo officio de plano & sine libello reuocat attentata, vt habetur in cap. non solum, vbi tradunt omnes Canonista, de appellat. in 6. & Bald. & Salyc. in l. appellatione. Cod. eod. & Ioann. Monach. in cap. cupientes. in §. de viginti, extra de election. & Abbas in c. ex parte, colum. fin. extra de rescript. Ratio autem esse potest, quia super attentatis & lis non contestatur, vt inquit Cardin. Alex. in cap. quis autem. 54. distinct. & notatur in d. c. non solum. & Capic. in decis. 72. & Specul. in tit. de appell. in §. nouissime. colu. 2. & Fran. in c. dilecti. il. 3. nu. 3. extra de appel. & Vestri. in sua pract. in tit. vt lite penden. vers. quod si agatur. Immo etiam in quacunque parte iudicij absque conclusione in causa renocatur, vt inquit Capic. in decis. 15. n. 188. & Rota in decis. 306. in antiquis, in nouis autem decis. 57. & Afflict. decis. 352. numero 4. & Franchus in cap. dilecti. il. 3. num. 3. vbi etiam Cardin. Alexand. & sequaces, extra eodem tit. & Rota iterum in decis. 157. in antiquis & in nouis 185. & iterum Vestrius in sua practica, versic. quidam. fol. 204. & tradit Hieron. Manse. in l. lib. super attentata. appellat. penden. in 7. parte, numero 44. cum sequen.

CAP. CLXXXII.

ARGUMENTVM.

Officium suum non rogatus iudex impartiri potest, procedendo in causa adulterij.

S V M M A R I A.

- 1 Iudex ex suo officio in causa adulterij procedere potest.
- 2 Fama frequens, quando succedat loco accusationis.
- 3 Adulterij ab accusatione recedere licet antequam constet de crimine adulterij.
- 4 Viro non reclamante de adulterio, nemini licet matrimonij concubia fedare.
- 5 Vir si de adulterio vxoris conquestus est, & ei non percipit, quilibet ad accusandum admittitur.
- 6 Adulterij nemine à principio conquerente, Iudex ex officio non potest inquisitionis via procedere.
- 7 Adulterium quod sit crimen publicum, quomodo intelligatur.

Centesimo quinquagesimo septimo limitatur ex eo, quod Iudex ex officio in causa adulterij procedere potest, vt late tradit Afflict. in constitut. Legum asperitate. nu. 12. de adulter. & lenoci. Ratio autem est, quia adulterium est crimen publicum, l. i. §. si publico. ff. ad Iuliam de adult. Subdit tamen animaduertendum esse gl. in c. 1. extra de offi. ordin. dicere: tunc posse Iudicem in causa adulterij inquirere,

quando frequens contra adulterum fama inualuit. Quandoquidem in eo casu fama illa ita frequens loco accusationis succedit: Verum quia loquitur in Episcopo, non in Iudice seculari, merito Ang. in l. fallaciter. C. de abolitio. simpliciter loquendo dicit, antequam constet de crimine adulterij ab accusatione & ipsius recedere licere: At secus si constet. Verum Afflict. eodem in loco inquit responsionem hanc Angeli dubitationem non tollere, & ideo inquit, quod viro de adulterio vxoris non conquerente nemini matrimonij concubia fedare licitum & permittum esse, vt habetur in l. si constante. ff. de adult. & l. quamuis. la. 2. C. eod. tit. & l. miles. §. voluit, & l. sine meo. ff. ad l. Iul. de adul. Si vero vir & vxorem accusauerit, licet postea destiterit, alios post eum accusare posse, dubium non esse, vt est tex. in d. l. si constante. Verum si nihil de adulterio constet, non potest extraneus accusare, d. l. quamuis. Sed si vir accusauit, & de adulterio conquestus est, quilibet ad accusandum admittitur, l. vim passam. ff. de adult. Verum in hoc casu, quando scilicet vir accusauit, ex quo aditus patefactus est ad accusandum: si nemo accuset, Iudex ex officio procedere potest: quod aliter dicendum arbitratur, si nemo in principio adulterium accusauerit: quia in eo casu, iudicem etiam via inquisitionis contra adulterum, vel adulteram procedere non posse arbitratur ne concubia offendatur, vt est tex. in d. l. si constante, & d. l. quamuis. Vnde stantibus predictis, inquit non obtare quod adulterium sit crimen publicum, & ideo possit iudex ex officio procedere: quia id verum est, vt ipse ait, quando nomen inter eos receptum est, secundum Bar. in d. §. si publico, & Salyc. in d. l. quamuis. dum inquit, crimen adulterij publicum esse: nam intelligitur, si in personis accusatoris receptum sit. Hanc conclusionem refert & sequitur Thom. Gramm. in decis. 31. num. 6. Illud autem quod supra dictum est, Iudicem ex suo officio in causa adulterij procedere posse, tunc locum habet & procedit, si adulterium sit notorium, vt inquit Gram. in eadem decis. 31. nu. 7. per ea que tradit And. de Iser. in comment. Regni Sicilia, in constit. incipiente, humanitate, in vers. vt quia tenebat publice. in tit. de his, qui fideiusso. dare poss. ne in carce. Quod sane notorium vltra ea, quæ ibi deducuntur, satis etiam ex confessione in iudicio facta à muliere sponte apparet, vt ait Bart. in l. scriptus. ff. de religio. & sumpt. sune. & not. in l. ictus sustium. ff. de infam. & in c. verstra, extra de cohab. cler. & mulier. & notat Bald. in l. properandum, in si. princip. C. de iudic. & sequitur Afflict. in decis. 176. quadam mulier. Et quod in notoriis Iudex possit supplere vltra ea, quæ supra sæpe diximus, tradit Hippol. Marfil. in l. vnica, num. 171. C. de rapt. virg. per ea, quæ voluit Bal. in l. plane. ff. de petio. heredit. quem ibi refert & sequitur Alexand. plura deducens, vt ibi late per eum.

CAP. CLXXXIII.

Argumentum est in Summario.

S V M M A R I V M.

- 1 Iudex ex suo officio potest supplere & procedere in notoriis facti permanentis.

Centesimo quinquagesimo octauo limitatur, quia Iudex ex suo officio procedere & supplere

plere potest in notoriis facti permanētis, vt inquit Bal. in lib. seu tract. statuto. in verbo, cicatrix. Nam si statutum dicat de cicatrice, quem nisi medicis adhibitis condemnari non posse: cicatrix vero notoria sit, vt iudex suis oculis inspicere potest: nec non etiam alii intuentes, & medici non reperiuntur: Eo enim casu, vt inquit ibidem Bal. Iudex ex suo officio condemnare potest Nam ex quo est notorium euidentia facti permanētis, iudici vt suppleat permissum est: & inquit id probari per tex. in l. 2. in fin. ff. de feris. & per ea, quæ notantur in l. 1. C. qui & aduers. quos. Quibus in notoriis, quando ita patent, vt probatio necessaria non sit, Iudex supplere potest, vt tradit iterum Bal. in l. prima. Cod. vt qua defunt aduoc. par. iudi. supple.

C A P. CLXXXIV.

A R G V M E N T V M.

Officium suum iudex impartiri potest, ferendo sententiam, nemine etiam petente.

S V M M A R I A.

- 1 Iudex ex suo officio nemine etiam petente in causa banniti pronuciare potest, & quomodo & quando.
- 2 Exceptio quod libellus continet expressum errorem, impedit litem contestationem.
- 3 Exceptio in materia banni debet continere bannum esse notorium: si fortasse aliquis defendatur ab homicidio, ex eo quod bannitum occiderit à statuto occidi permissum.
- 4 Exceptio notoria, quando dicatur, ad hoc vt iudex ex suo officio procedere possit & concludat.
- 5 Notoriis non seruatur ordo, nec solemnitas iuris, & quando.
- 6 Gesta à seruo tolerato subsistunt.
- 7 Erroris communis ratio seu pratensio, quando procedat.
- 8 Excommunicatus notorie in vna prouincia, tãquam notorie excommunicatus in alia reijci & euitari potest.
- 9 Notorie si iudici non constet, & ipse eo non obstante procedat, an libellus procedat.
- 10 Iudex si ignorat fundamentum suæ iurisdictionis, processus coram eo factus est nullus.

Centesimo quinquagesimo nono limitatur, quia vt inquit Bal. in tract. de statuto. in verbo, bannitus, num. 46. Iudex ¶ ex suo officio nemine etiam petente sententiam ferre potest, vt est text. in l. 1. C. qui & aduers. quos. Exemplum ponitur, si statutum disponat, vt est in pluribus locis Italiae, quod bannitus impune offendi possit: Verum circumscripta hac generali resolutione inquit ex plurium opinione hunc in modum distinguendum esse: Aut enim inquit ipse, de processu opponere vult, vt puta quod ¶ libellus expressum errorem continet, vt quia dicit aliquem bannitum, quempiam occidisse: & tunc talem exceptionem litem contestatione impedire. Sed ad hoc inquit Bal. esse animaduertendum. hanc exceptionem non esse, & ideo ¶ cautum esse debere, aduocatum & banni exceptionem opponere, dicendo bannum notorium esse. Nam in hoc casu talis exceptio processum impedit. Ratio autem est, quia vt supra sæpe diximus, illud quod

notorii iuris est, etiam nemine petente Iudex pronuciare potest. Aut illud bannum non est notorium, aut vero notoria non est, quia bannum nõ est notorium, & tunc supplere non potest: August. autẽ Berous in e. veniens, n. 31. extra de accusat. simpliciter dicit, iudicem ¶ in notoria exceptione partis defectum supplere posse, si exceptio notoria, agentem ipso iure ius agendi non habere concludat: vt puta exempli gratia, si quando iudex non suppleat agens cum aliena iactura locupletetur, vt distinguit Barto. post gl. in l. si vnus, § pactus. ff. de pact. Et ideo infert ad exceptionem notoriam mixtam, quæ cum ipso iure non offerat ius agendi non competere, iudex ex suo officio supplere non possit, & ideo tunc procurator admitti non possit. Tenendo tamen communem opinionem subdit ibidem Berous, quod cum in notorio ¶ ordo nec solemnitas iuris seruetur: sed de plano & sine iudiciario ordine procedatur. c. ad nostram, il 3. extra de iure iur. & c. quoniam. extra de filiis presbyt. & declarat Innoc. in c. tua extra de cohab. cler. & mulie. procurator in notorio interuenire poterit, vt latius ibi per eum, ad quem me breuitatis causa refero.

Verum vt de notorio hoc melius appareat, breuiter quædam referenda sunt, & in primis illud, quod dixit Abb. in d. c. ad nostram, il 3. n. 5. extra de iure iur. Quærit namq; indifferenter, an in notoriis ordo iuris & solemnitas prætermitti debeant. Et subdit gl. ibi notabiliter distinguere hunc in modum. Aut enim, inquit ipse, in hac prouincia hæc iudicia in aliis notoria sunt, & procedat illud, quod ibi dicitur: Aut vero non sunt notoria in hac prouincia, sed alibi: vel si in hac prouincia nõ sunt notoria iudici, sed aliis: & tunc iudex duplici via procedere possit, vt patet ex gl. & præsertim in eo quod aperte sentit, notum esse iudici, licet extra iudiciũ possit iudex iudicare. Hoc idem notant gl. & Bart. in d. l. iustus sustium. ff. de his, qui not. infam. Quatenus vero glo. exigit vt in prouincia notorium sit, subdit Ab. de ea prouincia intelligere, quæ ab vno tantũ regitur, vt olim, quod ab vno præside regebantur, c. 2. de off. deleg. lib. 6. Verum cum hodie omnes ciuitates suis propriis & diuersis officialibus seu rectoribus regantur, vt notatur in l. fi. C. de præscrip. longi temp. non sufficere quod in prouincia notorium sit, sed notorium esse in ipsa ciuitate, vel saltem in eius territorio oportere: de eo enim quod extra territorium est, Iudex satis nisi probationibus informari & scies reddi non potest, argumento l. fin. ff. de iurisdict. omnium iudic. Vnde inquit ibidem Abbas, gl. de qua ibi ad huiusmodi questionem facere. Quispiam in vna prouincia notorie excommunicatus est: in alia vero vbi publicum officium gessit, ignoratur: an ab eo gesta inspecta illa prouincia, vbi gesta fuerunt, vel non, considerato quod semel fuerit excommunicatus, subsistat? Nam ea vt subsistant, firmare videtur, vt tenuit etiam Pau. de Leaz. & iustus Ioan. And. ita respondisse refert Butr. in cap. sciscitatus. extra de rescript. qui tamen de iis, quæ voluit Ioann. And. in cap. inquisitioni, extra de senten. excom. Subdit tamen ibidem Abb. probare primum dictum, arg. l. Barbarius. ff. de off. præf. & in leg. 2. Cod. de senten. & cap. tria. 3. q. 7. vers. verum. Nam in illis iuribus dicitur, gesta à seruo ¶ tolerato ratione publici officii ¶ valere. Verosimile namque est eos seruos extitisse, in eorum partibus notorium extitisse: quando-

quidem

quidem licet in alia prouincia sit notorium, militat tamen ratio † communis erroris, quia est probabilis ignorantia eorum, quæ extra prouinciam geruntur. *c. fin. extra qui manu. non poss. & in Auth. vt facta noua constitutiones.* Ad ea autem, quæ dixit Ioan. And. *in d. c. inquisitioni*, respondet, non obstare: Nam tantummodo inquit, notorie excommunicatum † in vna prouincia, posse ab his qui id sciunt in alia prouincia euitari: & si ibi de hoc notorie nõ constet: & Ideo cum ad scientes referatur, merito obstare non debent. Si vero ad ignorantes respiciamus, contrarium potius suadere videtur: Verum ultra prædicta in re proposita Abb. *ibidem, numero 7.* quærit de alia dubitatione, videlicet si factum sit notorium, Iudici tamen non constet, nihilominus tamen tanquam super notorio processerit: an processus teneat? & dicit eam gloss. id non decidere, sed potius vt non valeat, existimasse, cum dicat Iudicem in hoc casu tanquam super occulto procedere debere: vel an factum sit notorium causæ cognitionem prætermittere: Verum Imola *in cap. tua, in si. extra de cohabit. cleric. & mulie.* contrarium potius tenere: At Abbas ita distinguit: Aut qualitas huius notorii est fundamentum iurisdictionis, & exemplificat in *c. 1. de off. deleg. lib. 6. & in c. accusatus. §. sane, de hæret. lib. 6.* & tunc processus à iudice ignorante notorium factus nullus sit, *arg. l. quero. ff. de eo qui pro tuto. & in c. ex parte astensis & eorum, qua ibi notantur, extra de concess. præben. & tradit Bart. in l. 2. ff. de iudic. & in l. multum. ff. de condit. & demon. & Innoc. in c. cum contingat, extra de offic. deleg.* Vbi generaliter voluit, quod si iudex † ignorat illud quod est fundamentum suæ intentionis, etiam si iurisdictionem habeat, processum non valere: Et ideo dixit Bart. *in d. l. multum*, & refert Imola *in cap. cum contingat*, quod si Iudex contumacem de sua contumacia mulctet, cum de ea non constet, sententia non valet, quia prius de sua contumacia constare debet, & iterum idem tenet Imol. *in l. si finit. §. iulium. infect.* Aut vero notorii qualitas suæ iurisdictionis fundamentum non est: sed solum facultatem ordinis iudicarij non seruandi: & hoc subsistit: & hoc casu Inno. opinio processus autem est, quia tunc error fundamentum est, *l. 2. ff. de iudic.* vbi tenet Innoc. sententiam si iudex suam iurisdictionem ignoret, propterea esse: & facit ad hoc illud, quod notat Bar. *in d. in l. si is ad quem. ff. de acquir. hæred.* Et ideo optimam esse cautelam, subdit Abb. vt iudex semper sua interlocutoria factum notorium esse pronunciet, & deinde tanquam super notorio pronunciet: quo casu penitus valet talis pronüciatio: Nam eo casu etiam si factum non esset notorium, valeret tamen processus ordine non seruato, vt notatur *in clemen. pastoralis, in glos. in verbo, declarato, extra de re iudicat. & facit illud, quod in simili notat Innocen. in cap. 2. extra de dilatio.*

CAP. CLXXXV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio potest supplere impedimentum matrimonij.

Centesimo sexagesimo limitatur, ex eo quod Iudex ex suo officio impedimentum matrimonij supplere potest, vt inquit Abbas *in c. porro. nu. 1. & 4. extra de diuor.* Et ideo dixit *ibidem, num. 1.* Iudicem ex suo officio ob notorium impedimentum, matrimonium impedire posse.

CAP. CLXXXVI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio sola facti veritate inspecta procedere potest.

Centesimo sexagesimo primo limitatur, † quia Iudex ex suo officio sola facti veritate inspecta cognoscere potest, etiam extra ea, quæ petita sunt iudicare potest, dummodo sententia aliqua ex parte petitioni conueniat, vt voluit Thomas Grammaticus *in decis. 19. lata sententia, & comprobatur Socin. in consilio 160. in presenti consultatione, num. 21. volum. 2. & iterum tradit Grammaticus in decis. 15. numero 3. & tradit Ias. in l. vinum. ff. si cert. pet. & in l. certi conditio. §. si nummos, eod. tit. & vtrobique adnotat, quod vbiunque causa alicui committitur sola facti veritate inspecta, Iudicem posse conuentum ad aliud quod petitum non fuerit cogere.*

CAP. CLXXXVII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio tenetur partes ad concordiam reducere, quando pauper litigat cum diuite.

Centesimo sexagesimo secundo limitatur, quia † quando pauper litigat cum diuite, Iudex ex suo officio partes ad concordiam reducere tenetur, vt inquit Card. *in cap. fin. extra de transaction. & Bar. in l. illicitas. §. ne potentiores, numer. 14. ff. de offic. præsid. & Abbas in c. 1. extra de treuga & pace. & Ferret. in tract. de feriis & induci. num. 24. & Sebast. Medices in tract. de fortui. casib. parte 2. q. 4. num. 28.*

CAP. CLXXXVIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio & iuris ordine non seruato, potest se de fama alicuius informare.

Centesimo sexagesimo tertio limitatur, † quia Iudex ex suo officio iuris ordine non seruato se de fama alicuius & testibus in forma iudicij non receptis & absque ordine iudicarij informare potest; Ergo multo magis de inhabilibus testibus, inquit Thom. Grammat. *in decis. 34. numero 7. per ea quæ voluit Bart. in l. qui testamento. §. per contrarium ff. de testib. & Innocen. in c. cum in tua. extra de spo. usa. & tradit notabiliter Panormit. in c. 1. in fine, extra de postu. prelator. & inquit idem referre & sequi Iacob. de sancto Georgio in l. 3. §. eiusdem. ff. de testib. & Maranta in suo Speculo aureo in 6. & vlt. part. principali, in secundo casu principali num. 126.*

CLXXXIX.

ARGUMENTVM.

Officium suum Iudex sine quere-
la impartiri potest, defendendo sub-
ditos ab iniquis extorsionibus.

S Y M M A R I A.

- 1 Iudex ex suo officio, etiam quod subditi non conque-
rantur, procedere debet.
- 2 Domino potest interdici administratio, si nimium
grauet subditos.
- 3 Subditos pauperes defendere ab extorsionibus, & in-
iuriis à dominis illatis magna elemosyna est,
vel plurimum apud Deum meretur, qui id fa-
cit.
- 4 Dominus subditis iura conseruare debet, alioquin do-
mini nomen amittere meretur.
- 5 Domini tenentur subditos ab alienis iniuriis tueri,
non ipsos deglutire.
- 6 Dominus male tractans subditos, dicitur male vt
substantia sua, & se indignum dominum reddidit.
- 7 Monitio ad hoc vt quis in pœnam incurrat, quando
necessaria sit.
- 8 Clericis non residens excommunicatur, & non sol-
uens collectam, punitur in duplum.

Centesimosexagesimoquarto limitatur, quia
Iudex † ex suo officio, etiam si subditi de hoc
non conquerantur, ab iniuriis & extorsionibus
dominorum eos defendere & tueri debet, vt in-
quit Thomas Grammatic. in decis. 104. numero 15. per
textum in l. illicitas. §. ne potentiores, versiculo, nec inno-
centibus, vbi tradit etiam Bald. ff. de offic. praesid. & Ioan.
Faber referens Speculat. in titulo de renunciat. §. primo.
versiculo priua. & rursus idem Ioan. Faber in §. final.
Instit. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris. Subdens do-
mino, † qui eos grauius tractat, administrationem
interdici posse. Id quod voluit etiam Bartol. in leg.
prima, quaestione finali. ff. de iure patron. & Guido Papa
in quaestione 62. & Alberic. de Rosate late in l. bene à Ze-
none. Cod. de quadrienn. praescription. Et ideo subdit
plurimum apud Deum mereri illum, † qui paupe-
res defendit, vt voluit Bald. in dicto §. ne potentiores.
Nam qui aliam facientem prohibere potest & de-
bet, vtique ipse idem committere non debet. l.
altius. ff. si seru. vend. Domini † enim pro beneficiis
receptis & obedientiam praestitam subditis grati-
ficari: & iura seruare tenentur; alioquin domini-
orum nominis indigni sunt, & illud amittere me-
rentur, vt inquit Bald. in consilio 439. volumine tertio.
Et praesertim cum ipsi subditos suos ab alienis † in-
iuriis tueri & defendere teneantur; Ergo multo
minus eos opprimere debent & possunt, vt inquit
Bald. in capir. primo. §. Marchio. versiculo extra quaro, in
titulo qui feud. dare possunt. Et ideo Socin. in cons. 272.
column. 2. versicul. ista conclusio. non dixit superiorem
dominum Baronem monere debere, vt à malo re-
gimine vasallorum cura & administratione desi-
stet, & eos benigne sub feudi priuatione regat &
tractet, sed solum dixit eum monere posse, per ea,
quae voluit Bal. & sequitur Aluarortus in c. 1. §. pub-
licilatrones, in titulo de pace tenen. & clarius voluit tac.
à sanct. Georgio, in auth. qui rem. C. de sacros. eccles. vbi

tradit etiã Castr. & Ias. & idem voluit Cur. iun. in tra-
seudo. vers. quero igitur in primis, & in cons. 137. n. 1. 2. 3.
& 4. & si teneat dominum suo dominio non priuari. &
Iac. in suo tract. de homag. vers. Marchio. & Bonus de Cur.
in suo tract. nobilit. in tertia parte, num. 210. & Guiliel.
Benedic. in c. Rainutus, nu. 971. & Bal. in cons. 439. cir-
ca medium, vers. item quado feudatarius. Et licet in cō-
trarium allegetur Ioan. Faber in d. §. si. Instit. de his,
qui sunt sui, vel alieni iuris, iniquis quod si dominus
ei indistincte & grauius tractet vasallos, possit etiam
ei indistincte administratio interdici: attamen ex
eisdem dictis Fabri, si recte animaduertatur, con-
trarium colligitur & suadetur: cum expresse dicat,
quod si indistincte grauet, ita indistincte ei admi-
nistratio interdicitur. & idem voluit Alberi. de Rosate
in d. l. bene à Zenone. ff. de quadrienn. praescript. Confir-
mari ex eo etiam videtur hæc conclusio, quod do-
minus ita † male & inique vasallos administrans & 6
tractans, sua substantia abuti dicitur: & se domini
indignum reddit, vt inquit Bal. in c. 1. in tit. quali. do-
rri. propter feud. priuen. argum. l. Imperator. ff. ad Sena-
tuscons. Trebellia. & in c. si. extra de accus. & Bal. iterum
in l. dominus. §. 1. ff. de his, qui sui, vel alieni iuris, arguen-
do, sequendo Cynum & Guiliel. Præterea hanc conclusio-
nem tenet Iaco. Rebuff. in l. ciues. la prima. versic. faciunt
argumentum ad quaestionem. C. de incolis lib. 10. Quan-
do autem monitio † necessaria sit, vt quis in pœ- 7
nam incurrat, distinguit ibidem hunc in modum
ex intentione & declaratione Imolæ in c. extirpan-
da, extra de preben. dum inquit. Aut lex loquitur ne-
gatiue; vt puta quod si quispiam aliquid non fece-
rit, puniatur in centum; & hoc casu monitio neces-
saria sit: Nam nisi præcedat monitio, puniri non
potest, vt ibidem tenet Ioan. And. Hostien. Anto. à Butri.
Abbas & Imola in dicto c. extirpanda, Dominicus à san-
cto Geminiano in c. licet canon. §. primo, de electio. in sex-
to. Et ideo conclusionem faciunt, quod monitio ad
pœnæ adiectæ commissionem in facto negatiuo
necessaria est, & sic pro negligentia tempore non
non adiecto: vt puta si dicat constitutio, quod cle-
ricus † non residens excommunicetur, vel colle- 8
ctam non soluens in duplo puniatur: Aut vero lex
vel constitutio loquitur affirmatiue: vt puta quod
quispiam faciens aliquid, vel ingrediens aliquem
locum aliqua pœna puniatur: vt exemplum ponit
Innocen. & alii relati, & vltimo loco Alex. in l. si ita
stipulatus, la grande. ff. de verbo. obligat. Et sic secus est,
si lex affirmatiue loquatur: vt puta exempli gratia si
lex disponat, vt ille qui clericum percusserit, vel ad-
moniales accefferit, in pœnam excommunicatio-
nis incurrat: eo enim casu monitio non requiri-
tur. Hanc conclusionem sequitur etiam Cardin. in
consil. 56. venerandus & voluit iterum Bal. in l. & si post
tres, in lectu. C. si quis cautio. & in authent. hoc amplius.
Cod. de fideicommiss. & omnes predicti in dicto cap. extir-
panda. Et sic conclusio est, vt inquit Innocen. vt
monitio requiratur, cum pœna ob factum com-
mittitur, prout firmat etiam Baldus in dicta l. prima.
Cod. de his, quibus vt indig. & concludit Iacob. de sancto
Georgio in dict. tract. de feud. in versiculo Roydis, in fine
tractat. vbi colligitur hanc suam esse sententiam & opi-
nionem. & hanc distinctionem sequitur Ludou. Roman.
in lege prima. §. in cognitione. ff. ad Sena-
tusconsultum Syl-
lania.

CAP. CXC.

ARGUMENTVM.

Officium suum Iudex impartiri potest, restituendo minorem, vt Ecclesiam, motu proprio.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio, an restitutionem in integrum concedere possit minori, sicut ecclesia.
- 2 Restitutio in integrum non conceditur, nisi causa cognita.

Centesimosexagesimoquinto limitatur, quia Iudex † motu proprio & ex suo officio restitutionem in integrum minori sicut Ecclesie concedere potest, vt voluerunt Ioan. And. Cardin. & Panorm. in c. cum venissent, per illum text. in vers. per vosmetipsos, extra de institutio. Ripa autem in dicta l. 4. §. hoc autem iudicium, numero 36. & 37. ff. de damno infecto, tenet contrarium, & ita inquit tenere Bart. ibi, & inquit suam opinionem probari optime per tex. in l. nam & postea. §. si minor, in versic. debet replicari. ff. de iureiurand. Subditque rationem esse euidenter, quia restitutio † in integrum sine causae cognitione concedenda non est, dicto §. causa cognita. Ex eo enim solum quod sit minor, vt laesus sit, consequens non videtur, dicto §. si minor. & subdit cum Bart. Doct. communiter transire, & eam tenere Ludou. Rom. in singul. 455. quod iudex. Et ad text. in dicto c. cum venissent, responder de Pontifice loqui, qui tam in facto, quam in iure pro arbitrio & voluntate sua supplere potest, vt inquit Bar. in d. l. vnica, & in d. illicitas. §. veritas. ff. de offic. presid. Vel secundo modo respondet, Pontificem ibi officium non postulatum ad vtilitatem publicam, quae in Ecclesiis consistit, interposuisse. l. prima. §. publicum ius. ff. de iustit. & iure. Nec praedictis inquit repugnare, quod iudex motu proprio & ex suo officio miserabilibus & auxilio indigentibus aduacatos dare soleat: quia huiusmodi actus tertio non prauiudicat: nec de eo sententia definitiua, prout de in integrum restitutione attenditur, nec requiritur, vt inquit Bart. eo in loco. & eandem opinionem sequitur Ias. in leg. Stichus. §. Luitius Titius, num. 4. ff. de conditio. indebit. & adducit Bald. in l. fin. circa medium. C. quando prouoc. non est necesse. Et rationem dicit ex eo procedere, quod restitutio in integrum ex priuilegio datur, & ex consequenti iure speciali. Sed aliter de oppositione, quae de iure communi competit, dicendum esse. Verum praedictis non obstantibus contrariam opinionem vltra supra primo loco relatos, vt scilicet Iudex ex suo officio, licet non petatur in integrum minorem restituere possit, firmat August. Berous in c. requisit. num. 4. versic. contrarium dici potest, extra de restit. in integrum. Et affert rationem, quia ad vtilitatem publicam Iudex motu proprio officium suum impartiri potest, vt tradit Bart. & sequuntur omnes in d. l. 4. §. hoc autem iudicium. Sed vtilitas Ecclesiae dicitur publica, & publicae aequiparatur, vt habetur in l. 1. ff. de iustit. & iure, ibi publicum ius in sacris sacerdotibus, & in l. fin. C. de sacros. eccles. Ergo. In hac limitatione animaduertendum est, quia Doctores supra relati de Ecclesia loqui videntur, nos autem de minoribus dubitationem posuimus. Verum quicquid sit, vide-

tur etiam in minoribus pari ratione procedere, vt inquit Imol. in d. c. cum venissent, num. 14. extra de instit. vt voluit Guido Naso, cum ecclesiae comparatur, vt est tex. in c. 1. & in c. auditus, extra de restit. in integ. & ibi latius per eum.

CAP. CXCI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio spoliato restitutionem denegare potest, quando per confessionem notorie factam in iudicio constat de dominio aduersarij.

Centesimosexagesimosexto limitatur, quia Iudex † ex suo officio spoliato restitutionem denegare potest, vt inquit August. Berous in c. 1. n. 20. extra de restit. spoliat. quando scilicet confessione notorie in iudicio facta de dominio aduersarij constat, nec non de illicita vsurpatione & rei retentione, si fiat restitutio. Ratio autem est, quia peccati causa Iudex ex suo officio restitutionem denegare potest, argum. c. 1. extra de conuers. coniugat. & in c. 1. de diuort. & voluerunt But. & Abbo. in d. c. 1. Quod comprobatur ex eo, quod vbicumque de non dominio spoliati notorie constat, ei restitutio facienda non est, vt inquit gl. in c. 2. in vers. praesumitur. in vltimis verbis eod. tit. lib. 6. & Imol. in d. c. 1. in gl. per tex. in c. significasti, vbi Innoc. extra de diuort. & in c. pastoralis. extra de iudic. & iterum tradit gloss. in c. in summa. 3. q. 1. Sed sic est, quod confessione in iudicio facta res sit notoria. c. vestra. & c. si. extra de coh. cler. & mulier. Ergo. Limitatur haec limitatio, vt inquit Berous in d. c. 1. nu. 23. extra de restit. spoliat. quando spoliatus tacite vel expresse renuncialet: Nam stante tali renunciatione, Iudex ex suo officio supplere non potest: nec facere, vt spoliatus restitui debeat: Quandoquidem spoliatus cum petit de iure, si id petat restituatur, non autem ex mero iudicis officio non implorato, vt ibi tradit gl. 1. & sequitur Ant. a Butr. Sed renunciatio implorationi repugnat. Ergo.

Hac autem sublimitatio limitatur, vbicumque si restitutio non fieret, periculum animae immineret propterea quod tunc ad euitandum huiusmodi periculum, Iudex ex suo officio parte etiam non petente restituere potest. c. 1. extra de conuers. coniugat. & notatur in c. 1. extra de diuort. & videas ibidem, num. 27. & num. 34.

CAP. CXCI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo mero officio contra spoliantem inquirere potest.

Centesimosexagesimoseptimo limitatur, quia Iudex † contra spoliantem ex suo mero officio ciuilitate ad effectum restitutionis inquirere potest. Id autem in duobus casibus accidere potest, vt inquit August. Berous in c. in literis. n. 11. extra de restit. spol. vbi etiam Abb. & in c. solus. in 1. notab. vers. sed contra praedicta, eo. tit. & refert etiam ibid. Hostiens. Primus autem praedictorum casuum est, quando miserabiles personae spoliatae sunt, & ita intelligunt tex. in c. 1. extra de restit.

de restit spoliat. Qui loquitur de Philasio cæco spoliato: licet Berous ibi dicat tex. illum non probare. Secundus casus est, quando de spoliatione inter clericos eiusdem diocesis contentio est, vt est tex. in c. si quis cum clerico, 11. q. 1. Videas tamen Beroum eodem in loco. nam dictum hoc hostiensis reprobare videtur, & num. 9. videtur contrarium firmare: concludens Iudicem in his terminis, nō solum in iure, sed etiam in facto supplere.

CAP. CXCIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio in causa matrimoniali de quolibet impedimento canonico inquirere potest.

1 Centesimo sexagesimo octauo limitatur, quia Iudex † ex suo officio in causa matrimoniali de quolibet impedimento canonico inquirere potest, vt inquit Abbas in c. ad nostram, il secundo. nu. 5. extra de iureiuran. Nam quemadmodum Episcopus de consanguinitate inter coniuges inquirere potest, c. porro, extra de diuort. & cap. si duo. 35. q. 6. idem quoque generaliter vbicumque de aliquo impedimento canonico inquirere vult, dicendum est: Propterea quod vt inquit Hostiensis, eadem ratio est; & ideo eadem iuris dispositio esse debet, cap. 1. & c. significauit, extra de officio ordin. Quod autem id in contrahendo possit, est textus expressus in c. fin. extra de clandest. despon. Ergo & idem in iam contracto dicendum est, ex quo non ad pœnam, sed ad euitandum peccatum agitur, vt notatur in d. cap. ad nostram, & in cap. primo, extra de restitut. spoliato. & tradit Maranta in suo Speculo aureo, in sexta & vltima parte, versio inquisitio, num. 112.

CAP. CXCIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio potest inquirere de iuribus principalis.

1 Centesimo sexagesimo nono limitatur, quia Iudex † ex suo officio de iuribus principalis inquirere potest. l. p. nult. & fin. C. de bonis vacant. lib. 10. & de hoc se refert Hostiensis, ad cap. cum dilecta. versio. volentes, extra de confir. utili vel inutili. Quo vero ad prohibitionem tres regulas ex dictis Innocen. eligi posse inquit Abbas in cap. ad nostram, il secundo, extra de iureiuran. vt ibi ipse tradit, numero septimo, cum sequentibus.

CAP. CXCV.

ARGUMENTUM.

Officium suum Iudex non rogatus, impartiri potest, corrigendo excessus in occupatione bonorum ecclesiasticorum factos.

SUMMARIA.

1 Iudex ex suo officio ratione excessus super iuribus ecclesiæ occupatis vel male detentis procedere potest.

2 Ius publicum in quibus consistat.

3 Iudex ex suo officio potest procedere super iuribus principis temporalibus.

Centesimo septuagesimo limitatur, quia Iudex † ex suo officio ratione excessus super iuribus ecclesiæ occupatis, vel male detentis procedere potest, vt inquit Abbas in d. c. ad nostram, il secundo, num. 8. extra de iureiuran. per ea, qua voluit ibi Innocen. & in c. quoniam. §. sunt & alij, extra vt lite non contest. argumento. c. cum olim. Et ideo dicit, dictum suum intelligendum esse, cum iudex super iuribus ecclesiæ occupatis, vel male detentis ita vt excessus euitetur, intelligendum esse: subdit etiam de hoc videndum esse illud, quod notat idem Innocen. in c. episcopi, extra de rebus eccles. non alienan. Probabilius tamen censet Abbas, vt iudex ex officio super iuribus Ecclesiæ ob id quod ad vtilitatem publicam tendat, procedere possit: cum habeamus iudicem ad vtilitatem publicā ex officio suo procedere posse. l. congruit. ff. de offic. presid. & in Authen. vt nulli iudic. §. primo, & §. quoniam. & Barr. in dicta l. quarta. §. hoc autem iudicium. ff. de dam. infecto. Sed sic est quod ius † publicum in sacris sacerdotibus & magistratibus consistit. c. ius publicum, distinctio. 1. & l. prima. ff. de iustit. & iure. Potest præterea iudex ex officio super † iuribus Principis temporalis procedere, vt supra dictum est. Ergo id multo magis de iuribus Principis æterni dicendum est. Bona nanque Ecclesiæ Dei sunt. cum ex eo de electio lib. 6. & ita inquit Abb. declarasse in cap. cum super, extra de causa possess. & propriet. Et facit illud quod habetur in Auth. de eccl. titu. §. si quis adificationem. Vbi tam Ecclesiasticus quam secularis iudex ex officio in accusando procedit.

CAP. CXCVI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio cessante causa lepra, non debet permittere vt coniuges iuuenes sint seorsum & separati.

Centesimo septuagesimo primo limitatur, red- eundo ad materiam matrimonii, † quia Iudex ex suo officio cessante causa lepræ, vt coniuges iuuenes seorsum habitent permittere, non debet, & id adulterii ob periculum, vt voluit Abbas post Hostiensem in c. veniens, extra de regular. & Innocen. in c. dudum, in princip. extra de conuers. coniugat. & rursus Abbas in cap. 1. num. 7. extra de coniugio leproso. cum vulgaribus.

CAP. CXCVII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio pro vtraque parte allegare potest.

Centesimo septuagesimo secundo limitatur, † quia Iudex vt inquit Abbas in c. bona memoria il primo, ex suo officio pro vtraque parte allegare potest: & sic dubia processus patefacere: Item copiosius & vberius iura pro vtraque parte facientia deducere & allegare, quam earum fecerint aduocati

uocati: & ad id inquit quotidie allegari tex. in d. cap. bona memoria, & concordare tex. in l. i. C. vt qua defunt aduoc. & id quotidie obseruatur, cum iudex partibus suas explicat dubitationes, & faciunt ea que notantur in c. cum Ioannes Eremita, extra de fide instrum.

CAP. CXCVIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio leges interpretari potest & si à vero deuiet intellectu.

Centesimo septuagesimo tertio limitatur, ex eo quod Iudex ex suo officio leges interpretari potest, & si à vero deuiet intellectu, vt inquit Iaco. de Arena in l. cum prolatis, n. i. ff. de re iudic. per tex. in l. neg. leges ff. de legib. Id autem tunc accidere potest, vel cū sunt variæ Doctorum expositiones, vel si dicatur verba legis generalia in casu, de quo tractatur, exceptionē pati & limitari debere, apparetq; Iudicē bono animo & intentione fecisse. In hoc enim casu sentētia subsistit: cum error quin iudicium subsistat, non impediatur, l. si forte. ff. de offic. presid. Si vero econtra ex certa scientia à vero legis intellectu deuiaverit, & erroneam iuris interpretationem vltro amplectatur, sententia non subsistit, vt ibi à cōtrario sensu accipitur, & confirmatur etiā argumento l. siue generalis. ff. de iure dot. & l. filium. ff. de man. testam. Ex quibus legibus manifeste apparet, dolum illud inualidum reddere, quod alioquin bona fide gestū subsisteret & valeret.

CAP. CXCIX.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, puniendo eum qui per obreptionem aliquid impetrauit.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio eum punire potest, qui per obreptionem aliquid impetrauit.

2 Iudex de delictis qua sunt coram se, inquirere potest.

Centesimo septuagesimo quarto limitatur quia Iudex ex suo officio, eum punire potest, qui per obreptionem aliquid impetrauit, vt inquit Iaco. de Arena in l. Diuus Pius, num. 3. ff. ad l. Cornel. de fals. per tex. in l. 2. §. si publ. ff. de adulter. Vbi inquit regulam dedisse, iudicem ipsum de delictis coram se factis inquirere posse. † Quod sane verum putat, non obstante tex. in d. l. Diuus Pius, in fine, vel in principio. ibi, si accusatus.

CAP. CC.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, detegendo animi sui motum.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio partibus motum animi sui detegere potest.

2 Iudex sapiens non detegit ea, qua in animo habet.

3 Exceptio licet post conclusum in causa opponi non possit, etiam quod postea superueniat exceptio suspicionis, opponi potest.

Centesimo septuagesimo quinto limitatur, † quia iudex ex suo officio partibus motum animi sui detegere potest, vt voluit Bart. in l. admonendi. ff. de iureiur. Verum Ripa in eadem l. admonendi. num. 4. Bar. reprobatur: Id inquit iudici tantum fatuo conuenire & imprudenti; † Sapiens enim os aperire non debet, ne partes id, quod cogitat, aliquo modo percipere possint. l. vbi. C. de fals. nisi fortasse vt suspectum recusari quærat. Nam licet exceptio, † qua deinde superuenit, post conclusionem in causa opponi nō possit, vt voluerūt Ioan. And. Ant. de Butr. & Panor. in c. cū dilectus, extra de ordine cognit. & in c. auditis, extra de procurat. & tradit Fely. in c. insinuante, col. penult. extra de offi. deleg. Ea tamen suspicionis exceptio, qua post ipsam conclusionē in causa superuenit, opponi potest, vt voluerunt Imola & Geminia. in c. iudex, de offi. deleg. in 6. & Philip. Franch. in c. cum speciali, in 7. quaest. extra de appellat. Subdit tamen Ripa eodem in loco, verba Barto. in declarando, substineri posse, videlicet quod tunc liceat iudici animum suum partibus patefacere, cum stylo iudiciorum constat, quam sententiam laturus sit: & in his terminis loqui Barto. & probari in d. l. admonendi, in versic. solent.

CAP. CCI.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, cogendo partem scribere vt fiat literarum comparatio.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio potest aduersarium ad scribendum compellere, vt deinde ex tali scriptura fiat comparatio.

2 Comparatio hodie fieri potest ex qualibet scriptura, qua constat ab eo scripta, in cuius odium fit comparatio.

3 Comparationis faciendæ forma.

Centesimo septuagesimo sexto limitatur, quia Iudex † ex suo officio potest aduersarium ad scribendum compellere, vt inde literarum comparatio fieri possit, vt inquit Ripa in l. admonendi, num. 110. ff. de iureiuran. per ea que voluit Ang. in §. si quis igitur, in Auth. de instrumen. caut. & file, per illum textum reiecta sententia Barto. contrarium tenentis in Auth. si contractus. Cod. de fide instrum. quam improbat Panormitan. in cap. secundo, colum. penult. extra de testibus. Ex quo infert Ripa ibi hodie comparationem † ex omni scriptura fieri posse, qua ab eo scripta appareat: in cuius odium comparatio fit, ac etiam quod ii, qui † comparationem facturi sunt, scribere sciant, & artis scribendi periti sint, præstentque iuramentum, iuxta formam l. comparationis, vt latius ibi per eum. Præterea addendo prædictis, quod Iudex aduersarium ad scribendum compellere ea de causa possit, vt tradit Ioan. de Pla-

de Platea in l. inter cartulas, in fine, versic. nunquid autem iudex. Vbi querit an Iudex aliquem ad scribendum aliquid manu propria cogere possit, vt inde literarum comparatio fieri possit? & inquit Barto. velle vt cogi non possit, in l. comparationes. Cod. de fide instrum. Verum aliud videri velle tex. in §. si quis igitur, in Auth. de fide instrum. ibi, scribere coactus est. & ideo videtur sentire contra Barto. ex quo transit cum eo tex.

CAP. CCII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex in causis fiscalibus officium suum non petitur impartiri tenetur.

Centesimo septuagesimo septimo limitatur, quia iudex in causis fiscalibus officium suum non petitur impartiri tenetur. l. si vacantia, vbi Bar. C. de bonis vacant. lib. 10. & facit tex. in l. item apud La-beonem. §. quod ait. ff. de iniur. vbi notat Iac. de Arena, iudicem ex officio bannitum agentem repellere debere: quia interest Reipublicæ ad delinquentium terrorem & metum, ne banniti audiantur. l. licitatio. §. quod illicite. ff. de public. & vectigal. & tradit Rom. in singul. 570. & supra etiam diximus.

CAP. CCIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex in causa alimentorum tenetur officium suum non petenti prestare.

Centesimo septuagesimo octavo limitatur, quia iudex in causis alimentorum officium suum etiam non petenti prestare & impartiri debet, vt inquit Ripa in l. obligatione, num. 31. ff. de pignor. & hypothe. per textum. in l. Diui Seuerus & Antoninus. ff. ad leg. Falcid. & facit text. in l. mulierem, & illud quod ibi notant Cynus & alii. Cod. si mancipi. ita fuer. alien. ne profiritua.

CAP. CCIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio relaxare debet carceratum non habentem vnde se alat.

Centesimo septuagesimo nono limitatur, quia Iudex ex suo officio carceratum non habentem vnde se alat, si creditor eum alere nolit, relaxare ac dimittere debet, vt inquit Ripa in d. l. obligatione, num. 32. ff. de pigno. & hypothe. & voluit ita determinando gl. in l. si in verbo, agnoscere. C. de erogatio. milita. anno. lib. 12.

CAP. CCV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex si sciat dictum testium, vel exceptionem aliquam propositam vel interlocutoriam a se ipso latam, ea etiam parte tacente proponere debet ex suo officio & tenetur.

Centesimo octuagesimo limitatur in casu, quo Iudex vt Iudex scit dicta testium, vel exceptionem aliquam propositam, seu interlocutoriam a se ipso latam: nam tunc ea parte etiam tacente ex suo officio proponere debet, vt inquit Ripa in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, nu. 28. & 29. ff. de damno infecto. per tex. in c. constitutus, extra de appellat. & firmat Specul. in titu. de disputat. & allega. §. satis. versicul. quid enim. & Anton. à Butrio in c. ab excommunicato, in 3. car. extra de rescript. per textum, in c. quoniam. extra de filiis presbyt. & sequuntur Alexan. & Ias. in l. nam & postea. §. si damnetur. ff. de iureiuran. & rursus Ias. in leg. prima. colum. 7. ff. de iurisdict. om. iud. Contrariam vero opinionem tenuit Ange. in leg. si vnus. §. pactus. ne peteret. col. fin. ff. de pact. & Pau. Castren. in l. vbi pactum. C. de transactio. & sequitur Alex. in d. l. 1. col. 2. scilicet, quod Iudex non teneatur: licet possit si velit. At Ripa ibidem numero 29. concordat has opiniones hoc modo, videlicet vt prima conclusio in his procedat, quæ iudici ex propositis à parte tacente & non petente: nam cum semel proposita sint, specialem vllam aliam exceptionem vel petitionem exigere non videntur, & ita procedat ea, quæ tradit Specul. in versic. quid enim. Secunda vero conclusio in iis procedat, quæ iudici ex deductis in processu ab aduersario nota sunt: & ita loquuntur Pau. & Ang. Ad hanc declarationem Ripæ animaduertendum est, quia (ni fallor) est extra rem, de qua agitur: nam loquimur de officio iudicis, quod ex sua natura aliquid extra iuris communis terminos continet, & ideo propria autoritate facere potest. Si igitur præsupponamus, vt prima opinio procedat in iis, quæ Iudici ex deductis in processu à parte aduersa nota sunt: Id non videtur ad officium pertinere, cum ipse id exequi vi suæ iurisdictionis teneatur, non autem officii sui: id quod ex ipsa ratione allegata & deducta apparet, dum mouentur ex eo, quod cum fuerint semel proposita particularem & expressam oppositionem requirere non videntur: quandoquidem hoc non à vi officii Iudicis pendere videtur, sed ab eo quod semel proposita fuerint, an id satis sit, ita vt iudex id omnino vt iudex & iuris rigore inspecto facere teneatur. His vel aliis rationib. adductis Ripa alia distinct. vel declarationem adducit: Dicit enim ipse, primam opinionem in illis casibus procedere posse, in quib. tacens suæ exceptioni renunciare non videtur: secunda vero in illis, in quib. tacendo sibi præiudicat: vt puta ex pli gratia si contra testium personas, hoc est, qualitates & mores tacens non opposuerit: quos tamen ex actis constat esse suspectos: Hoc enim casu cum iudex nesciat, an pars eos repelli velit, non possit Iudex eos ex officio reiicere, vt inquit Butrius in d. c. bona, extra de postul. prelat. & late tradit Ias. in l. patre furioso, col. 5. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iur. Ad hanc conciliationem vel declarationem idem quod ad præcedentem diximus repetendum videtur: Nam siue declarationem ad primam conclusionem accipiamus, in qua tacens suæ exceptioni renunciare non videtur: siue secundam, in qua videtur renunciaffe, & ideo sibi præiudicasse: attamen id omne ab ordinaria iurisdictione pèdere videtur, & à verborum vel facti declaratione: nisi fortasse dicamus, officium iudicis in eo versari, quod iudex ex suo officio possit arbitrari, an suæ exceptioni renunciauerit, vel non renunciauerit. Verum quia de his supra in pluribus ex præ-

ex precedentibus limitationibus diximus, & ostendimus officium iudicis quid supra ordinariam & determinatam iurisdictionem continere, prout iudici magis expedire visum fuerit; merito breuitatis causa, & quia suis in locis legi possunt, non repeto. Et id eo magis dicendum est, cum officium Iudicis à se ipso oriatur, & in se ipso definat, & verberetur potissimum ultra ea, quæ in processu deducta sunt, vel si ea attingat, aliquid addat vel minuat, prout ratio aliqua id iudici suadere videbitur.

CAP. CCVI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio potest compellere heredem, ut vlciscatur de nece defuncti.

Centesimo octuagesimo primo limitatur, ex eo quod Iudex heredem cogere potest, ut de nece defuncti vlciscatur, ut inquit Cornel. in l. heredes quos. num. 7. C. de his, quibus ut indig. Bald. autoritate. Corn. tamen eodem in loco inquit præcise non cogi, sed ex causa, puta si pœnam priuationis hereditatis euitare voluerit. Hoc autem tempus, prout inquit Saly. etiam post aditam hereditatem statuere: quandoquidem tempus quicquid illud sit, ante aditam hereditatem illi pro dilatione ad accusandum datum est, ut ipse ait, & sequitur Castr. Illud tamen addendo, quod id in eo intelligendum est, qui ignorans adiuit: quãdoquidem aliter adeundo indignus efficeretur l. minorib. C. eo. tit. de his quib. ut indign. sed Corneus refert se ad ea, quæ dixit in l. cum fratrem. C. de his, quib. ut indign.

CAP. CCVII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex officium suum impartiri debet etiam non requisitus, vbi tractatur de periculo animarum, & an comprehendatur iudex secularis.

Centesimo octuagesimo secundo limitatur generaliter, licet supra de quibusdam speciebus particularibus dictum sit, ut vbiunque de periculo animarum tractatur, Iudex officium suum etiã non petito impartiri & interponere debeat, ut voluit Anch. in cons. 234. nu. 2. & Iacob. de Nigris in l. omne officium. n. 3. ff. de offic. asses. prout voluit etiam Innoc. in c. bona. extra de postula. pralato. & tenet glos. in §. sancimus, in Auth. de testib. & Alex. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, nu. 5. de damno infecto, & Archid. in c. cupientes, nu. 16. de electio. lib. 6. & August. Berous in c. solita, nu. 11. extra de restit. spoliat. & glos. in d. c. cupientes, §. ceterum, versic. contumacia. Et est etiam glos. notabilis in cap. quia frustra, extra de vsur. quæ dicit Iudicem ex suo officio vsurarium à iudicio expellere posse, ut in illa decretali habetur, quia fauorem animæ vsurarii concernit, & rursus Berous in c. in literis, nu. 5. eodem tit. extra de restit. spoliat. Vbi num. 6. expresse ait, quod ex quo Abbas generaliter loquitur, Iudex etiam secularis comprehendatur. Subdit tamen id vltimum verum nõ esse, sed de iudice tantum Ecclesiastico intelligendum esse, ad quem huiusmodi cognitio pertinet: & ne peccatum sequa-

tur prouidere: At iudex secularis de peccato & periculo animæ, ut de re spirituali cognoscere nõ potest, argumento eorum, quæ notat glos. in c. cum cõtingat. extra de iureiurand. & c. decernimus, & c. nouit, cum ibi notatis, extra de iudi. & c. per venerabilem, extra qui filii sint legit. & c. fin. extra de foro competen. in 6. & Domini. à sancto Gemina. in c. 1. §. sed si, num. 3. extra de exceptio. Et ideo dixit Abbas in d. c. in literis, num. 1. extra de restit. spoliat. Iudicem ad priuatam vtilitatem officium suum non supplere, si imminet animæ periculum. & Butr. in c. conquerente, nu. 1. extra de filiis presbyt. Georg. de Priol. in consil. 42. nu. 10. in 1. vol. consil. matrim. diuerso.

CAP. CCVIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex in causa vsuraria ad priuatam vtilitatem quando agere possit.

Centesimo octuagesimo tertio limitatur etiam illud, quod supra dictum est, quod Iudex ad publicam, non ad priuatam vtilitatem, officium suum interponere potest, quandoquidem in causa vsuraria Iudex etiam ad priuatam vtilitatem officium suum impartitur, ut voluit Socin. senior in consilio. 219. numero 1. cum sequentib. volum. 2. & tradit etiam Bald. in cap. 1. §. si tres, in titul. de pace iuramen. firman. Verum Innoc. in c. ad nostram, il. 2. extra de iureiuran. id ad pœnitentiam peragendam tantum procedere arbitratur, & ita intellexit tex. in c. 1. extra de offic. ord. cuius dictum sequi videntur Doct. & supra retulimus in limitatione 82. Socinus autem in dicta consilio 219. numero 1. volum. 2. hanc conclusionem latius & clarius declarãdo, ponit plures casus: ex quibus deprehenditur, quando id iudex ad priuatam vtilitatem facere possit. Primus autem est, quando ille, qui soluit vsuras, illas non repetere iureiurando promisit: tunc enim inquit ipse, ex quo parti agendi via præclusa est, Iudex ex suo officio etiam ad priuatam vtilitatem procedere potest: Speciem autem de hoc, iuxta vnum intellectum, vbi hoc notat Doct. inquit esse in d. c. ad nostram, & satis concludenter ex eo confirmari, quod vbiunque; propter dolum partis agendi via præclusa est, Iudex ad priuatam vtilitatem ex officio procedere potest, ut inquit Landinus in clemen. 1. de offic. ordin. & Paul. in c. fin. de foro competen. in 6. & referunt recentiores in ca. qualiter & quando, extra de accusat. Secundum casum ponit, quando notorium est, vsuras à quopiam fuisse extortas: ille autem à quo extortæ sunt, ob auctoritatem aduersarii seu potentiam, eas repetere non audet. Nam in hoc casu iudex ex officio ad priuatam vtilitatem procedere potest, ut videtur probare tex. quem plerique ita intelligunt, in c. cum in dicepsi tua extra de vsuris. prout ibi refert Iohan. de Anania. Tertius casus est, quando Iudex in eo casu, quo pars agere potest, ad priuatam vtilitatem agere vult: eo namque casu, ut ait Innocen. in dicto cap. ad nostram, quem communiter sequuntur Doctores, id facere poterit: Nam pro priuatis commodis congruis actionibus agendum est, ut habetur in c. primo extra de libel. oblatio. Vel iudicis officium implorandum, ut inquit Iohan. Andr. & Doctores in c. fin. de foro.

de foro competent. in 6. & Bart. & Ang. in l. si vacante. C. de bonis vacan. lib. 10. & hanc esse communem opinionem attestatur Socin. eodem in loco: Et si Bald. in loco paulo ante relato, & iterum in l. ea quidem Cod. de accusatio. simpliciter & absolute dixerit in crimine vsurarum ad priuatum commodum & vtilitatem inquiri posse: nam eius opinionem in aliis casibus quam in supradictis tutam non esse arbitratur. Quartus præterea casus est, quando Iudex correctionem peccati pœnitentiamque peragendam inquirere vult: & tunc sane potest, vt concludit Innocen. in dicto. c. ad nostram, & sequuntur Doct. ita intelligentes text. in c. 1. extra de offic. ordin. Illud tamen notandum esse eodem in loco subdit Socin. Iudicem ad pœnitentiam imponendam sine dubio procedere posse, vt habetur in d. c. 1. Et ideo ex quadam consequentia inquisitum ad vsuras restituendas, & sic ad priuatam vtilitatem officium suum interponere & impartiri: cum frustra pœnitentiam ageret, nisi ablatum restitueret. cap. 1. 14. quast. 6. & c. cum tu. extra de vsur. & ita concludunt Hostien. Ioan. Andr. Butr. Cardinal. Abbas, & Imo. in d. c. ad nostram. Confirmatur etiã hæc conclusio ex eo, quod dicit Iohann. And. post Innocent. in c. quia frustra, extra de vsur. dum volunt, vt licet vsurarius agens, exceptione repellatur. d. c. quia frustra. autoritate tamen superiorum ad illis restituendum, à quibus abstulit, cogi possit. Et ratio est, quia illum liberat à peccato, vtiliterq; illius negocium tam respectu animæ, quam corporis agit, vt notatur in d. c. ad nostram & præsertim à Butrio. Præterea comprobatur ex eo, quod inquit ibi Imola, dum vult vt licet Iudex regulariter officium suum non petitum interponere nõ possit, & ex consequenti via inquisitionis agere: at tamen id aliquando licet non sit petitum, ex quadã tamẽ consequentia potest, vt puta quãdo principaliter ad criminum correctionem inquisitio fit, vt habetur in d. c. 1. extra de offic. ordin. Tunc enim in consequentiam vsuras restitui curabit & alienum: cum alioquin peccatũ integrè & perfecte corrigere non diceretur, vt habetur in c. peccatum. de reg. iur. in sexto. Confirmari etiam inquit hanc conclusionem per text. in c. accusatus. §. quero, de heret. lib. 6. vbi dicunt Doctores pro pœnitentia imponi illud, ad quod quis de iure tenetur, quod dicunt valde notandum. Vnde de iurè cum quilibet ad vsurariũ restitutionẽ tenetur: huiusmodi restitutio pro pœnitentia imponi potest. Non omittit etiam quod quando de vsuris constat ex illis libris, de quibus non dubitatur, vel propria vsurarii confessione, potest ipse vsurarius ad restitutionem compelli, vt inquit Feder. de Senis in cons. 52. Alexander Episcopus. Accedat etiam inquisitorem, qui non potest de vsuris cognoscere, posse in foro pœnitentia ad vsurarum restitutionem compellere, vt habetur in c. accusatus. ibi, quero, de heret. lib. 6. & ibi tradit quoque Ioan. And.

CAP. CCIX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

I Iudex in attentatis post conclusum in causa, ex suo officio potest supplere.

I Centesimo octuagesimo quarto limitatur, ¶ quia Iudex ex suo officio in attentatis post

conclusum in causa supplere potest, vt voluit Barb. in consil. 9. colum. 3. numero 10. volum. 2. Et ratio est, quia illud ius deinde superuenit, vt inquit Anton. à Butrio in cap. 1. extra vt lite penden. per illud verbum, forte.

CAP. CCX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

I Iudex ex suo officio in quibusdam testibus, obiectiones factas contra testes recipere potest, & non tenetur illas remittere in tempus publicationis.

Centesimo octuagesimo quinto limitatur, ex eo, ¶ quod Iudex in quibusdam testibus vel casibus obiectiones factas contra testes, ex suo officio recipere debet, nõ autem eas referre ad tempus publicationis testium ab eo deinde examinatorum: Horum autem exempla sunt huiusmodi: & primum ponit Menoch. in tractatu de arbitr. iudic. lib. 2. centuria 3. num. 7. de his qui referunt in auth. si testis productus. C. de testib. vtputa si quispiam libertinus dicatur, & ei obiciens dicat iure manumissum non esse. Plane hic libertinus, antequam testium fiat examen: manumissionis instrumentum ostendere debet, nisi fortasse iuret has probationes in alia prouincia habere. Alius vero casus est, si obiciatur testem esse inimicum ob causam capitalem inter eos vertentem: Nam si de huiusmodi capitali inimicitia statim constet, testis ille non recipitur, nec examinatur, vt eo in loco adnotarunt Bart. Salye. & ceteri, & optime tradit Thom. Grammat. in decis. 86. & Soc. in tract. fallentia. regula 129. fallent. 1.

CAP. CCXI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

I Iudex ex suo officio perempta instantia sententiam proferre non debet.

Centesimo octuagesimo sexto limitatur, quia licet pars peremptionem instantiæ non opponat, Iudex ¶ tamen instantiam peremptam esse cognoscens, ex suo officio sententiam definitiuam ferre non debet, vt inquit Bartol. in l. properandum, in princ. C. de iudic. per ea que notantur in l. 1. C. vt que desunt aduoc. & tradit Alex. in cons. 39. n. 1. vol. 5. vide de hoc in limita. 136.

CAP. CCXII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

I Iudex cum agitur de honore & æstimatione iudicis, officium suum nemine etiam petente exercere debet.

Centesimo octuagesimo septimo limitatur, ¶ quia vbi agitur de honore & æstimatione iudicis, Iudex officium suum vt illum tueatur nemine petente exercere potest, vt inquit Ripa in dicta leg. quarta. §. hoc autem iudicium, numero 64. cum sequen. digest. de damno infecto. per text. in dict. l. quos prohibet. ff. de postulan. Prætor namque, vt suam maiestatem

statem conseruet: infames coram se postulare non patitur, propterea quod eorum commercio eius dignitas pollueretur. Hæc enim est ratio. d. l. quos prohibet, secundum Bald. in l. nec quicquam. §. obseruare, in vltima carta. ff. de offic. procons. Et in hoc casu dicunt iudicem ad vtilitatem priuatam interponere, vt inquit August. Berous in c. solita. num. 14. extra de restitut. spoliat. Licet ipsius iudicis interfit, suum officium exercere, vtputa quia ipsi, vt supra diximus, vel eius iurisdictioni aliquid præiudicium fieret, vt tradit gl. in c. cupientes. §. caterua, versic. contumacia, de electio. in sexto. & voluit Bart. in l. si quis libertatem, col. 2. ff. de petit. hered. & in l. si pulchri. ff. de sepul. viola. & Alex. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, & Berous in d. c. solita. num. 3. Et id non solum procedit, si fiat iniuria seu tractetur de interesse illiusmet Iudicis, coram quo causa agitur, sed etiam alterius: nam vt inquit Berous in d. c. solita. nu. 14. extra de restitut. spoliat. tunc etiam iudex suum officium ad vtilitatem priuatam exercere potest, vt habetur in l. eos, in fine, & in l. iudicibus. C. de appellat. vt declarat Bart. in d. hoc autem iudicium, in oppositionibus. Ampliatur etiam hæc conclusio, quando quis iniuriam in officiales Iudicis, vel familiares contulisset: dummodo crimen notorium sit: nam tunc etiam non interpellatus officium suum exercere & interponere potest: secus vero si crimen notorium nõ esset: propterea quod tunc suspitionem tollit, vt voluit Bart. in l. si quis forte, §. primo. ff. de penis. & tradit Marant. in suo Speculo aureo, in sexta & vlt. parte, in 4. quæst. nu. 132.

CAP. CCXIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Index ex suo officio non petenti dilationem dare potest.

Entesimooctuagefimooctauo limitatur, quia Index † ex suo officio non petenti dilationem dare potest, vt inquit Bart. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium. ff. de damno infecto. & refert idem Ripa. nu. 57. per tex. in dict. l. properandum. §. primo, ibi, nullus erit tam audax, & c. C. de iudic. & rursus idem voluit Bart. in l. 1. C. de dilat. & Bart. & Bal. in d. l. prima, & Bald. Ange. & Salyc. in l. nouerint. C. vt intra cert. temp. in caus. crimin. & idem voluit gl. quam sequuntur Panorm. & alij in c. licet causam, per illum textum extra de probat. & Castr. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, & in l. 1. §. quod ait Praetor. ff. de iure delibet.

CAP. CCXIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Index ex suo officio gestum ab alio iudice reuocare potest.

Entesimooctuagefimono limitatur, quia Index † superior quicquid alius iudex sine causæ cognitione, & sine citatione gessit, suo officio & contrario imperio id quod gestum est, reuocare potest, vt voluit Bal. in c. inter quatuor, in fin. ex-

tra de maior. & obediens cum multis alijs, quos refert Alexan. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, col. 6. ff. de damno infecto, & voluit iterum Bar. in l. quod iussit. ff. de re iudicat. & August. Berous in consil. 145. num. 8. volu. 3. & quando id procedat, vide toto illo consilio.

CAP. CCXV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Index etiam pendente dilatione ex suo officio se intromittere potest.

Entesimononagesimo limitatur, quia † licet pendente dilatione Iudicis officium conquiescat, l. sue pars. C. de dilatio. ad fauorem tamen eius, cui dilatio data est, Index se intromittere potest, vt inquit August. Berous in consil. 116. numer. 5. volum. 3. & est tex. in l. si quis instituitur, vbi tradit etiam Imola. ff. de hered. instituen.

CAP. CCXVI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Index contra generaliter negantem potest suum officium impartiri, vt declaret, an neget, vel excipiat in totum, vel in parte.
- 2 Index in acquirendo supplere non solet ad priuatam vtilitatem.

Entesimononagesimo limitatur, quia vt inquit Corn. in l. cum Geminiano, nu. 3. C. de transactio. contra generaliter negantem Index suum officium impartiri & interponere potest, vt declaret an neget, vel excipiat in totum, vel in parte, vt voluerunt Bal. & Salycet. ibi: Et si Index, † in acquirendo ad priuatam vtilitatem supplere non solet, vt supra vidimus, & habetur in l. 2. C. vt que desunt aduoca. Animaduertendum tamen esse inquit Corn. ibi, id non fieri ad priuatam vtilitatem, sed contemplatione iudicii: ne indeterminate procedat, vt suadere videtur tex. ibi, contemplatione. Vel subdit ibidem Corne. quod id non facit ex officio, sed ad instantiam & petitionem partis cuius contemplatione cogit reum, vt illam generalem exceptionem declaret, vt voluit gl. ibi: in verbo, iudicij: quod inquit falsum est, quia petitione & coactione cessante dicta generalis exceptio processit, vt ibi patet.

CAP. CCXVII.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex impartiri potest, compellendo reum ad edendum instrumenta.

SUMMARIUM.

- 1 Index ex suo officio potest compellere reum vt instrumenta edat.
- 2 Priuilegiati ne cogantur testificari, priuilegio non gaudent, quando veritas aliter probari non potest.

Centesimononagesimo secundo limitatur, † quia iudex ex suo officio, reum vt instrumenta edat, compellere potest, vt inquit Decius *in c. 1. n. 31. extra de probat.* Nam ex causa secundum DD. Rotæ *in decis. 218. licet pars in nouis, alias decis. 213. num. 5. in tit. de probatio. pariter in nouis. & idem voluit Innoc. in d. c. 1.* dummodo tamen actor iureiurando affirmet, id à iudice animo calumniandi nõ petere. Iusta autem causa dicitur, si actori facultas probandi absque eius tamen culpa perierit vt notat Specula *in tit. de instrumen. edit. §. iudicandum. vers. ex præmissis. & idem quoq; voluit Butr. & Imol. & Capra in d. c. 1. extra de probat. & Alex. in l. fi. C. de edendo.* Et ibidem subdit Decius nonnullos recentiores *ibidem* velle, vt veritas aliter vbicunq; probari absque alia causa non potest, Iudex ex suo officio reum cogere possit. & id inquit ex eo etiam comprobari, quod voluit Hostien. quem alii sequuntur, *in c. 1. extra de testib. cog.*

2 dum inquit, † priuilegiatos ne testificari cogantur, eo priuilegio non uti, vbicunq; veritas aliter probari non potest. Id quod rursus voluit Spec. *in tit. de test. §. de testium compulsione, in princ. & sequitur Anto. à Butr. in c. cum à nobis, colum. fin. & in c. cum nunciis, col. fi. extra de exceptio. & id expresse tradit gloss. in c. fin. in c. occultorum, 14. questio. 2. & dicit hanc opinionem fuisse nonnullorum DD. Rotæ in loco supra relato.* Contrariam autem opinionem tenuit Abbas *in d. cap. 1. extra de probatio.* quod scilicet iudex nullo modo ex suo officio etiam aliqua causa subsistente reum cogere possit. Et mouetur quibusdam iuribus & rationibus de quibus ibi per eum. Id quod sequitur & efficaciter comprobatur Aretin. dum inquit cum ea transire simpliciter recentiores, & eam opinionem contra communem sequitur Maria. Socin. aliquibus rationibus adductus, de quibus tradit Aret. *in d. c. 1. extra de probat.* & antea eandem opinionem contra communem tenuit Bal. *in d. c. 1. extra de probatio.* Verum ob huiusmodi opinionum conflictum & diuersitatem Decius *in d. cap. 1. concordando eas* inquit, plerosque recentiores *in l. 1. Cod. de eden. tres* casus considerare: Quorum primus est, quando facultas actori, qui eam nunquam habuit defecit: Nã in eo casu inquit à Iudice reũ grauandũ nõ esse, cũ imputandum sit actori, quod sibi non prouiderit. *l. qui accusare. C. de eden. & ita procedat tex. in l. 1. Cod. de questio. & alia quæ Abbas & Areti. adducunt.* Secundus vero casus est, quando quis à principio probationes habuit, quæ tamen cursu temporis periere, & tunc pariter editio denegari debet, cum id eius culpa, quod scilicet iura sua neglexerit, imputari possit, & ita procedat *tex. in d. c. 1. extra de probatio. & illud etiam quod dixit Abbas in loco supra relato.* Tertius præterea casus est, cum quis sibi speciem aliquam probationis procurauerit, & eam absque culpa sua amisit, vtputa exempli gratia incendio, vel ruina: & tunc iudicis officium ad compellendum reum ad edendum impetrari possit: & in hoc casu loqui Innoc. DD. Rotæ, & Butrium arbitratur. Et subdit esse *tex. in ratione decidendi, in l. si quis ex argentariis. §. fin. ff. de eden.* Hæc distinctio licet, vt ibidem subdit Decius, satis niti æquitate videatur, diuinatione tamen non caret: quatenus iura & rationes, quas Abbas & Aretin. deducit, & subdit Decius, in eo casu restringuntur, quo actori culpa imputari potest: Et ideo breuiter concludendo, ad duos tantum casus reducit, in quib. inquit Doctores com-

muniter conuenire. Primus est, quando pro actore studium veritatis indagandæ tantummodo allegatur, & tunc quia hæc sola ratio non sufficit, vt reus edere teneatur, merito compelli non possit, vt inquit Anton. à Butrio *in d. c. 1. & Abbas, & Alexan. in d. l. fin.* & in hoc inquit Decius recentiores contradicentes non recte loqui. Secundus autem casus est, quando actor iustam causam adducit, vtputa quod facultas probandi sine eius causa vel culpa perierit: & sumus in iis, in quibus officium Iudicis exuberat: vtputa in spiritualibus, vel in causis absentium: & in hoc quoq; casu inquit absq; vlla controuersia, opinionem Innoc. & Dominorum Rotæ procedere: videlicet, vt iudex ex suo officio reum edere compellere possit, vt fatetur etiam Abbas *in d. c. 1. extra de probatio. & Alexan. in d. l. fin.* His autem duobus casibus exceptis, subdit ibidem Decius omnem altercationis vim ad tertium casum reduci, cum in iis scilicet versamur, in quibus iudicis officium non exuberat: & iusta causa pro actore adducitur, quod facultas probandi sine eius causa vel culpa perierit: & in hoc casu Decius DD. Rotæ opinioni & aliorum, quæ communis est, adhæret: cum habeamus ex causa iudici, vt à reg. iur. recedat, permillum esse: & præsertim quia in dictis casibus spiritualibus vel absentium Iudex suum officium etiam non petitum impartiri potest, vt supra sæpe dictum fuit, & infra etiam suis in locis dicitur.

C A P. CCXVIII.

A R G V M E N T V M.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, rogando partem an habeat instrumenta.

S V M M A R I A.

- 1 Iudex ex suo officio potest interrogare partem, an habeat instrumentum, & eã, vt illud producat compellere.
- 2 Articulatum si fuerit instrumentum: si deinde ille, qui articulauit, illud producere non vult, potest compellere vt producat, alioquin nullum effectum habeat.

Centesimononagesimo tertio limitatur, vt inquit Matth. Afflict. *super constitution. Regni, lib. 2. constitut. fin. in tit. de probat. in appella. produc. incipiente. Iurisperitorum, nu. 29.* † Iudex partem interrogare potest, an habeat instrumenta, & eam vt ipsa producat cogere, vt inquit gloss. *in clem. sape, in verbo, interrogabit de verb. sign.* quæ id in summariis tantum causis approbat: secus vero in ordinariis, vt tradit Rom. *in l. admonendi, versic. postremo ff. de iureiur.* Verum adhuc querendum est, quid dicendum, † si articuletur aliquod instrumentum, quod verbo tenus pars in articulis produxit: & deinde facta testium in causa publicatione, ille qui instrumentum illud in articulis nominauit, producere ipsum recusat, quia in eo fortasse est aliquid, quod ei nocet: an in eo casu Iudex ad instantiam alterius partis illi præcipere possit, vt illud realiter & essentialiter producat, quod constituto temporis spatio, & si non produxerit infra dictum tempus, quod nul-

lum effectum nullamque vim habeat deinde si producat. Et Afflict. eo in loco subdit, huiusmodi præceptum facere posse, vt voluit Bar. in l. 1. §. edenda ff. de eden. & in l. 2. C. eodem tit. & in l. si appellationem C. de appellatio.

CAP. CCXIX.

Argumentum est in Summario.

SYMMARIUM.

1 Iudex suadente æquitate post conclusum in causa potest compellere partem ad producendum sua instrumenta ad fundandam suam intentionem.

1 CEntesimononagesimo quarto limitatur, quia ¶ Iudex suadente æquitate post conclusum in causa potest partem ad producendum sua instrumenta, vt suam fundet intentionem, compellere, vt inquit And. Barba. in consil. 9. col. 2. nu. 29. volu. 4. & voluit Butr. in c. 1. extra de iudic. & idem iterum voluit in c. cum Ioan. eremita. extra de fide instrum. & in c. 1. extra vt lite penden. licet in d. c. 1. vtatur illo verbo, forte.

CAP. CCXX.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, recedendo à iuris regulis.

SYMMARIA.

1 Iudex ex causa à regulis iuris recedere potest.
2 Iudex ex causa leges excedere potest, & ultra illas iudicare.
3 Editio denegatur argentario, quia ratione officij sui instructus esse debet.

1 CEntesimononagesimo quinto limitatur, quia Iudex ¶ ex causa à regulis iuris recedere potest, vt inquit Decius in c. 1. num. 31. in vers. Secundus casus est, quando ex parte, extra de probat. Et non solum potest à regulis iuris recedere, sed ¶ & leges quoque excedere, vt tradit Imo. & sequuntur omnes in c. 1. extra de constit. & Bal. in l. 1. in 2. notab. C. de precibus Impera. offeren. & in auth. sed nouo iure. in 3. notabili. C. de seruis fugitiuis, cum similibus. & optime facit tex. in l. hominem. ff. manda. & in §. mandatam, Instit. mand. & probatur etiam in d. l. si quis ex argentarius. §. si ff. de eden. Vbi licet argentario ¶ editio denegatur, quia ratione sui officij instructus esse debet: ex causa tamen ei conceditur. Hac de re latissime tradit Iulius Ferrētus in tract. de feruis, & induciis militaribus, treuga & pace, per totum.

CAP. CCXXI.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, taxando interesse, vbi non potest iurari.

SYMMARIA.

1 Iudex ex suo officio potest taxare & æstimare lucrum cessans.
2 Iudex ex suo officio potest rem æstimare, si extimario non probetur.

1 CEntesimononagesimosexto limitatur ex eo, quod vbi pro lucro cessante non datur iuramentum in litem, nec est etiam testibus probatum vt inquit Phanucius in tract. de iureiur. in litem. ¶ Iudex illud ex officio suo taxare & æstimare potest, vt voluit Bar. in l. 1. C. de colon. Illirica lib. 1. & Ioan. Ign. in l. quatenus. num. 18. versic. vel clarius. ff. de regu. iur. & Ioan. Bolognet. in l. 1. col. antepen. C. de senten. qua pro eo. Et facit illa communis Doctorum conclusio, quod Iudex ¶ ex suo officio, vbi æstimatio non probatur, 2 ipsemet rem æstimare potest, vt inquit Bartol. in l. si quod ex Pamphila. ff. de leg. 2. & Matth. Afflict. in decis. 58. col. penult. & Corn. in consil. 26. volum. 1. & in consil. 221. col. 7. vol. 2. & Alex. in consil. 60. vol. 2. & Roman. in consil. 281. & Alex. in consil. 77. volum. 6. & in consil. 172. eod. volumine. & Pau. Castren. in consil. 219. in causa. volum. 2. & Aymon Crauet. in consil. 218. num. 4. versic. nec obstat valorem, & recentiores repetentes in d. l. 1. Cod. de senten. qua pro eo, quod inter. quidem volunt quo ad interesse æstimandum.

CAP. CCXXII.

Argumentum est in Summario.

SYMMARIUM.

1 Iudex ex iusta causa post conclusum in causa instrumenta admittere potest vi sui officij.

1 CEntesimononagesimo septimo limitatur, quia iudex ¶ ex iusta causa post conclusum in causa instrumenta admittere potest, vt inquit Francisc. Niconitius in c. quoniam contra falsum, super 1. glos. num. 11. extra de probat. per ea, qua voluit Specul. in tit. de renun. & conclus. §. 1. versic. & scias quod post conclusionem, & sequitur Bal. in l. fin. in fin. Cod. sentent. rescin. non posse. & Abbas in c. pastoralis. extra de exceptio. & est tex. in l. videamus. §. penul. vbi glo. & Doct. tradunt. ff. de in litem iuran. & Roman. in consil. 175. ista responsiones, & est iuxta intellectum Bar. in l. admonendi, vbi notat Ias. col. 23. in prin. ff. de iureiuran. & licet Romanus impugnet Bar. Ias. tamen eum defendit ibidem. column. 26. post principium.

CAP. CCXXIII.

Argumentum est in Summario.

SYMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio potest cogere ciuitatem vt faciat syndicum.

1 CEntesimononagesimo octauo limitatur, quia Iudex ¶ ex suo officio ciuitatem vt faciat syndicum cogere potest, vt voluit Bar. in l. ergo. §. creditoribus. ff. de fideicommiss. libert. & refert Cardin. Alben. in d. §. creditoribus. & tradit Alexan. in l. 1. §. si autem. numero 7. ff. ad Senatuscons. Trebellia. vbi dicit quod si vniuersitas ipsa actum expedit, non compellitur syndicum ad illum actum expediendum constitutere, secundum Bar. & Doct. ibi. Et an Iudex ad instantiam alterius partis possit vniuersitatē compellere, vt syndicum constituat, cum quo omnia facilius constituantur. & de hoc inquit tractare Iac. de Aren. & Bart. in l. 4. §. creditor. per illum tex. ff. de alimen. & ciba. lega. & Bar. in l. 1. vel 2. per illum tex. C. de iure republ.

lib. 12. & Inno. in c. Roman. in fi. de senten. excommun. in 6. & Bal. in l. 2. C. de iure calculi. & in l. fin. in prin. C. de manu testam.

CAP. CCXXIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex officio suo non requisito supplere potest factum ipsum recensendo, & ad memoriam reducendo.

1 Centesimo nonagesimonono limitatur, quia iudex ex suo officio non requisito factum recensendo & ad memoriam reducendo supplere potest, ut inquit Alex. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, num. 15. ff. de damno infect per ea qua voluerunt. Syn. & Imola in d. l. 1. C. ut qua desunt aduoca. Potest namque reo dicere, reminiscaris pactum de non petendo factum fuisse: ob id namque iudex parti alteri minus fauere non diceretur: & id inquit Imola comprobari ex eo, quod habetur in c. iudicantem, 30. q. vlt. & in l. 2. C. de eden. & hoc dictum sequitur Butrius in d. c. bona, extra de postula. pralato.

CAP. CCXXV.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex impartiri potest, pronunciando non tantum super petitis, sed etiam super causa petendi.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio libellantem dominum declarare potest.

2 Iudex non solum super petitis, sed etiam super causa petendi pronunciare potest.

1 Dvcentesimo limitatur, quia iudex ex suo officio libellantem dominum declarare potest, etiam quod id in libello petitur non sit: quia iudex non solum super petitis pronunciare potest, sed etiam super causa petendi, ut expresse notat Innocen. in c. cum ecclesia Suirina, extra de causa posse. & propriis. ibi. item nota hic, quod non solum fertur sententia super eo, quod petitur est, & c. Et id inquit voluisse etiam Bart. in l. ex diuerso. §. 1. ff. de rei vendic. & tradunt Rosfred. & Spec. libellum formantes hunc in modum in rei vendicationis actione, videlicet ut duntaxat aduersarius ad rei restitutionem condemnari petatur: & ideo dicunt non ob stare, si in petitorio petatur ius suum declarari, & ex consequenti se dominum esse, & id vere non sit. l. ex diuerso. §. 1. ff. de rei vend. Quia, ut ibi notat Bar. expresse, licet id fieri non possit, nec debeat: ea tamen de causa tantum quod in libello id petitur non sit: sed duntaxat aduersarium ad restitutionem possessionis condemnari, libellas tamen eo iure substinetur: attamen expresse petendo, censetur tacite in consequentiam id petisse, hominum declarari: Quia regula est ut ille qui vult vnum, id etiam voluisse intelligatur, sine quo illud esse non potest. l. illud. ff. de acq. here. & l. ad re. & l. ad legatum. ff. de procur. cum is, qua late tradit Casire. in eodem consil.

CAP. CCXXVI.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex impartiri potest, supplendo quod petitur non fuit, modo ex narratis colligi possit.

SUMMARIUM.

1 Iudex appellationis ex suo officio in sua sententia illud supplere potest, quod expresse in libello non fuit petitur, & quando.

2 Iudex quilibet in sua sententia illud supplere potest, quod supplendum cognoscit.

Dvcentesimo primo limitatur, quia iudex appellationis ex suo officio potest in sua sententia illud supplere, quod expresse in libello petitur non fuit, si ex facti narratione & iuris expressa & notoria dispositione colligi & inferri possit: ob id quod tunc primi sententiam corrigere non dicatur, sed illi addere: ut habetur in c. Rainutius, in versic. legitima, in qua filia adiecta a patre grauari non potuit, licet petita non esset, ut ibi in fine expresse tradit Innoc. Et id non solum iudex appellationis, sed quilibet etiam alius facere potest, ut puta primus: Nam legis auctoritas id ei permittentis iustitragatur, dum vult, ut illud quod supplendum cognoscit, supplere possit, ut est tex. in l. vnica, C. ut qua desunt aduoc. & etiam habetur in rub. illius tituli. & in d. c. iudicet. 3. q. 6. & in c. bona. il. 1. extra de postulat. pralato. & in c. cum dilectus extra de consuetu. & facit in argumento tex. in c. iudicantem, 30. q. fin. & idem notatur in c. ex tenore, & praesertim ab Imol. in fin. extra de rescrip. & Ang. in consil. 123. viso libello. Quemadmodum etiam dicitur de arbitris, quod etiam super non deductis in compromisso pronunciare possint, ut notat Imol. in c. Quintauallis, in 21. differentia iuramenti, extra de iure iura. per ea, qua habentur in c. nisi essent, extra de praben. Huic conclusioni repugnare videtur illud, quod voluit gloss. in verbo appellanem, circa finem. in l. Offidius, ff. de legat. 3. quam sequitur Bar. in l. cum apud ff. iudic. solui. & in l. 1. §. libelli, col. fin. ff. de appellat. & idem videtur comprobare Ioan. And. in c. Raynaldus, extra de testam. & latius in additione ad Specul. in tit. de senten. §. ut autem, vers. sed pone. & Ant. a Butrio in c. cum Bertoldus, per illum text. extra de iudi. Quandoquidem si sententia appellationis definitiua sit, per verbum absoluo, vel condemnno, ferenda est, prout ex actis quem esse absolum vel condemnandum cognouerit. d. c. cum causa, extra de re iudi. & c. definitiua. 2. q. 6. & l. praes. C. de senten. & optime probatur in l. 1. ff. de re iudicat per illum text. ibi. simpliciter & prout verba sonant intelligendo, & in l. in hoc iudicio. ff. famil. ercisc. Et hinc sumpta occasione dixit fortasse gl. in d. l. eos. C. de appella. Iudicem appellationis consultius facturum, si condemnnet, aut absoluat. Vnde Alex. in consil. 48. nu. 7. & 9. vol. 7. inquit, quatenus pertinet ad iudicem, illud procedere, ut dixerunt Hostien. & Ioan. And. in d. c. ex tenore, ibi id procedere propter connexitatem, quam ibi prima litera cum secundis habebant: & ideo de nullitate secundarum literarum exceptum fuerit, non autem primaru. Attamen ibi summus Pontifex pronunciauit impetratam vtriusque carere ob dolum & fraudem in impetratione ambarum commisionum.

tionū in eodē negotio impetratū cōmissa. Ratio igitur quare id ibi factum sit, est cōnexitas. Comprobatur autem hęc conclusio ex eo, q̄ habetur in c. cæterum, vel, *vt inquit Imol. in d. c. ex tenore, in fine.* Et ideo aliter declarando inquit Alex. illud ibi ideo tolerari, quia iudex ex suo officio de eo quēpiam punire potest, vt sibi in iudicio notorie constat. *l. nullum, c. de testib.* Et sic loquatur quo ad ea, in quibus iudici ex suo officio permittitur, & quo ad ea, in quibus eius iurisdicctio versatur. At secus, si non sit factum compromissum. Vel respondet Alex. *in loco supra adducto*, illum tex. loqui & procedere in Pontifice & Imperatore, qui etiam super non petitis iudicare possunt, *vt voluit Bart. in l. Emilius Largianus per illum tex. ff. de mino.* Præterea subdit etiam non obstare illud, quod dicit Ange. *in d. cons. 123. num. 2.* quia vult vt si petam quinquaginta tanquam mihi promissa, & probo centum fuisse promissa: posse Iudicem in quinquaginta, non in tota summa condemnare. *vt etiam notat Bar. & sequuntur alii, in l. scire debemus. ff. de verb. oblig. alioquin repugnaret l. si. c. de fideicommiss. liber & l. cum fundus. ff. commun. diuidun. cum simili.* Ad illud autem, quod diximus de arbitraris, dicit id procedere, quando arbitrator pro vna re, de qua fuit compromissum, & de qua erat controuersia, aliam assignat pro satisfactione illius, & sic mādāt satisfieri pro illa re, de qua fuit compromissum. *& de hoc tradit Alex. in cons. 79. col. fin. vol. 5. & Soc. in cons. 104. per totum, vol. 4.*

C A P. CCXXVII.

A R G V M E N T V M.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, supplendo & reformando ecclesiæ iura.

S V M M A R I A.

- 1 Iudex ea quæ ecclesiarum præiudicium attingunt, potest ex officio implere, & iura ecclesiæ reformare.
- 2 Iudex in concernentibus præiudicium ecclesiæ, ei in integrum restitutionem dare potest, & pariter minoribus.
- 3 Tutori, ex suo officio dat iudex tutorem, si nouerit eo indigere.

DVcentesimo secundo limitatur, quia † Iudex ea, quæ Ecclesiarum præiudicium attingunt, implere & iura Ecclesiæ reformare potest, *vt inquit Imol. in c. cum venissent, extra de instit. & comprobat. ex iis, quæ habentur in c. abbate, extra de appellat.* Et ideo dixit Guiliel. Naso, quod in his Iudex † Ecclesiæ restitutionem concedere potest: id quod, vt ipse arbitratur, in minore dicendum videtur, qui ecclesiæ comparatur. *c. i. extra de restit. in integr. & c. auditis, eodem tit.* De hoc tamen Legistæ dubitarunt: Sed Imola de hoc inquit dicendum esse, vt late tradit Bar. *in d. l. 4. §. hoc autem iudicium. ff. de damno infecto.* Floria. vero *in d. c. cum venissent.* inquit etiam de iure ciuili Iudicem minori dando † illi tutorem prouidere posse, si eo indigere nouerit: si autem ignoret, non teneri nisi ab eo petatur, *per ea quæ habentur in l. 1. §. magistratus. ff. de magistr. conuenien. cum similibus, de quibus in dict. §. hoc autem iudicium, ad quæ se refert.*

Hęc autem conclusio limitatur in commodo instantiæ inchoatæ à priuato, & ad eius commodum, *vt inquit Imol. in d. c. cum venissent, eodem. num. 14. per ea, quæ notantur in c. innotuit, in fin. extra de electio.*

C A P. CCXXVIII.

A R G V M E N T V M.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, declarando nullitatem ex processu apparentem.

S V M M A R I A.

- 1 Iudex ex suo officio partibus etiam non opponentibus, si reperiatur processum nullum, eius nullitatem declarare debet.
- 2 Partes etiam tacite solemnitatibus substantialibus renunciare non possunt.
- 3 Partium confessioni statuitur, si de substantialibus solemnitatibus probabiliter dubitetur.

DVcentesimo tertio limitatur, quia iudex † ex suo officio partibus etiam non opponentibus, si nouerit processum nullum, eius nullitatem declarare debet, *vt inquit Abbas in c. 1. num. 4. extra de lit. contest.* Et ex eo tex. infert, partes † etiam tacite solemnitatibus substantialibus renunciare nō posse: *& de hoc ait nonnulla dixisse in c. 1. extra de libel. oblatio.* Verū si dubitetur, an huiusmodi † substantiales solemnitates interuenerint: quoniam iam sunt, & tunc de hoc inquit partium confessioni standum esse, *vt est tex. notabilis in c. fin. extra de probatio.*

C A P. CCXXIX.

A R G V M E N T V M.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, compellendo agentem ad exprimendum causæ genus.

S V M M A R I A.

- 1 Iudex libellantem ad actionem exprimendam vel causam agendi compellere potest.
- 2 Libellus generaliter receptus, valet & quomodo.
- 3 Condemnatio minor fieri debet, vbi libellus est generalis, & quando.
- 4 Libellus admissus sine expressione causæ, si non opponatur valet.
- 5 Actor clare & expresse debet probare intentionem suam, cum libellus est generalis, alioquin succumbit.
- 6 Iudex non debet libellum generalem recipere.
- 7 Libellum iudex recipere non debet, si causam ita generaliter exprimat, vt varij agendi modi elici possint.
- 8 Iudex ex officio circa conclusionem libelli procedere potest, & eius viria.
- 9 Iudex ex officio libelli qualitatem perscrutari debet.
- 10 Libellus in quo petitur concubina lacerandus est.

DVcentesimo quarto limitatur, quia Iudex † ex suo officio libellantem ad exprimendam actionem, seu agendi causam ex qua modus agendi colligi possit, compelli potest, *vt inquit Abbas in c.*

dilecti filii, numero decimo septimo. extra de iudic. & tradit. las. in leg. 1. in secundo notabili. Cod. de success. edito. & faciūt ea, quæ notat Fel. in c. pastoralis, col. 5. extra de exceptio. vbi tradit, an admittatur exceptio generalis: Et ideo dicunt Iudicem stultum esse, qui libellum ita generalem recipit, ex quo varii agendi modi competere possūt, cū aliter quis in vna & aliter in alia cōdemnari debeat: & prout diuersi sunt modi, ita & diuersæ quoque condemnationes fieri debeant. & tradit Alex. in cons. 101. col. 3. vol. 5. & declarat Felyn. in c. j. col. 3. extra de lit. contest. & And. Barbat. in cons. 58. sapienter. col. penul. vol. 2. Subdit tamē

2 Abbas in d. c. dilecti. libellum ꝑ tamen ita generaliter receptum valere, *argument. l. 2. C. de anna. except.*

3 & ꝑ condemnationem fieri, iuxta ea, quæ minorem condemnationem requirunt. *l. semper. ff. de regul. iur. & l. favorabiliores, eodem titulo, & c. inter dilectos. extra de fide instrum. nisi in medio litis ex probationibus, vel quia id expresse dixerit, qualiter agere voluerit appareat: quia tunc in eo sententia ferenda est, d. l. si quis intentio. ff. de iudic. Et ideo ibidē*

4 concludit Abbas, quod libellus sine ꝑ vlla causæ expressione admissus, si quicquam oppositum nō sit, valet. *d. l. si. C. de anna. excep. & notatur in c. 2. 3. extra de libel. oblatio.* Oportet tamen actorem ꝑ clare & expresse intentionem suam probare: alioquin succumbit, *argumento. l. si in rem. ff. de rei vendic. & eorum, quæ ibi notat Bart.* Illud tamen omittendum

6 non est, cautius agere iudicem ꝑ qui huiusmodi libellum nō admittit & idem est, si aliqua in eo cautē expressa sit, sed ita generaliter, quod varii agendi modi elici possint: Nam licet deinde expressa interpretatio faciendā sit, Iudex tamen id non admittet, ob dubitationes, cauillationesque illas, quæ deinde fieri solent, *argumento, §. curare, Instit. de actionibus. & c. iudicantem. 30. quæst. 5. & l. si. C. de fideicommiss. libert. vt inquit Innocen. in loco prædicto, vbi latius profequitur Abbas.* Et ideo dixit Decius in c. dilecti filij, num. 2. extra de iudic. illud quod dicitur, Iudicem ex

8 ꝑ officio supplere posse, quo ad conclusionem & defectus libelli procedere & locum habere: Vnde est, vt conclusiue de modo ac forma agendi, ne iudicium elusorium sit perquirere possit. Et si huiusmodi notabile, vt inquit Decius *ibi. eo. modo. & prout Abbas dicit* simpliciter notari non videatur: tum quia tex. ex forma canonum loquitur, tum quia in eo tex. id ex speciali Pontificis commissione fieri videtur: Artamen quicquid sit de prædictis, satis est, quod illud dictum, vt subdit Decius, verum sit: nam Iudex ꝑ tex. suo officio libelli qualitatē perscrutari potest: Et si reperierit libellum ineptum esse, illum reicere, vt inquit Innocen. in c. primo, extra de offic. vicarii. Vnde etiam est, vt libellus, ꝑ in quo petitur concubina, sit lacerandus, vt notat Innocen. in cap. ex parte, extra de restitut. spoliat. & comprobat glos. notabilis in l. qui cum maior. §. si patris. ff. de bonis liber. cum similibus, vt tradunt recentiores in d. c. dilecti filij. & ad idem est gl. quam sequitur Ang. in l. 1. extra de offic. assess. & ibidem recentiores post Decium & Alex. in d. l. quarta. §. hoc autem iudicium, colum. septima. ff. de damno infecto. & Andreas Barbat. in capit. primo, in septimo notabili, extra de libel. oblatio.

CAP. CCXXX.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, supplendo de iure tertii.

SUMMARI A.

- 1 Iudex ex suo officio potest de iure tertii opponere & supplere.
- 2 Iuri tertii, quando opponi potest.

DVcentesimo quinto limitatur, quia vt inquit Ab. in c. licet, n. 3. extra de suppl. negli. prelato. Vbi ex deductis in iudicio constat de iure ꝑ tertii penitus exclusiua intentionis agentis, potest iudex & etiam pars de huiusmodi ꝑ tertii iure opponere: & si tale ius tertii publicam vtilitatem vel Ecclesiæ attingat, potest etiam Prælati in iudicando supplere in illo tertii iure, etiam in eadem instantia, silentium vtrique parti imponendo, vide supra in 6. limita.

CAP. CCXXXI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIVM.

- 1 Iudex ex suo officio de causa criminali ad ciuilem deuenire potest ex eadem instantia.

DVcentesimo sexto limitatur, quia vt inquit Corn. in Rub. C. de eden. nu. 6. ꝑ Iudex ex suo officio de causa criminali ad ciuilem ex eadē instantia peruenire potest, vt habetur in leg. interdum fur. §. qui furem. ff. de furt. & ibi tradunt Bar. & Bal. in l. quod euitandi. C. de conditio. ob turp. cau.

CAP. CCXXXII.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex interponere potest, in causa electionis, non existente parte.

SUMMARI A.

- 1 Iudex ex suo officio in causa electionis parte etiam nō existente supplere potest.
- 2 Iudex deficiente accusatore, ex officio procedit.
- 3 Statutum si disponat, vt ille qui non soluit collectā, non audiatur ciuilitate, nec criminaliter, & ille qui non soluit, sit vulneratus, an iudex ex officio inquirere possit.

DVcentesimo septimo limitatur, quia vt inquit Decius in c. constitutus, nu. 1. extra de appellat. in causa electionis Iudex ꝑ ex suo officio parte etiam non existente supplere potest, vt tradit ibi etiam Ab. & est gl. notab. in c. cupientes. in §. ceterum, in vers. periculo animarum, quæ dicit id generaliter procedere, vbi cūq; de animarum periculo, vt supra latius diximus, tractatur. Patiter etiam inquit Ab. Iudicem deficiente ꝑ accusatore ex suo officio procedere, vt ipse latius profequitur in d. c. constitutus Verum subdit ibidem Decius, prædicta impugnari ex iis, quæ Bar. notabiliter adnotat in l. non solum, §. quanquam. ff. de iniur. dum colligit ex eo tex. stante statuto, ꝑ vt qui collectam non soluit, nec ciuilitate, nec criminali-

naliter audiatur, si fortasse aliquis sit vulneratus, qui collectam non soluit, Iudicem de huiusmodi delicto ex suo officio inquirere non posse: ea ratione quod quemadmodum ipsemet de huiusmodi delicto conqueri non potest, pariter etiam nec Respublica possit. At quicquid dixerit Bar. eo in loco, communis opinio ea de re contrarium verius arbitratur, vt colligitur ex iis, qua tradit Alex. in l. 1. si sublat. ff. ad Trebelli. qua de re late etiam tradit Rom. in consil. 214. venerabilis Domine. & facit optime illud, quod notat Aret. in consil. 85. considerata diligenter, col. 3. vbi refert Bal. in authen. statuimus. C. de episco. & cleric. & Ioan. de Anania in Rubric. extra de accusatio. dum Bal. adducit. in l. 1. C. si tut. non gesserit.

CAP. CCXXXIII.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, supplendo quando apparet iudicium fore elusorium.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio potest supplere, cum apparet iudicium futurum elusorium.
- 2 Iudex potest ex suo officio compellere procuratorem ad ostendendum mandatum.

DVcentesimo octavo limitatur, quia Iudex ex suo officio, vt inquit Decius in c. causam que, num. 2. extra de iudic. cum cognoſcit iudicium elusorium futurum, & id ea ratione, quod publicam quoque vtilitatem respiciat vt aliquando scilicet finis litium detur, c. finem litib. extra de dolo & contum. & facit g. notab. in d. c. 1. de elect. in 6. vers. absentiaque, 2 in sine, dum inquit Iudicē procuratorem, vt mandatum ostendat compellere posse, ne in vanum laboretur, vt inquit Abbas in d. c. causam que, & tradit late Sebastia. Sapia in l. ius dicentis, nu. 58. ff. de iurisdic. om. iudic. per ea, que tradit Fel. in d. c. causam, qua. col. 2. & And. Barba. in consil. 7. colum. 10. num. 3. volum. 2. & Francif. Viuius in suo tractat. commu. opinio. in verb. Iudex. nume. 6.

CAP. CCXXXIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio supplere potest in iis, que publici iuris obseruantiam concernunt.

DVcentesimo nono limitatur, quia Iudex ex suo officio, in iis, que publici iuris obseruantiam concernunt, supplere potest, vt inquit Ripa in d. l. 4. §. hoc autem iudicium. num. 45. ff. de dam. infecto.

CAP. CXXXV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex officium suum non imploratum ad vtilitatem quoque priuatam interponere potest pro eorum declaratione, que in iudicio gesta sunt.

DVcentesimo decimo limitatur, quia Iudex officium suum non imploratum ad priuatam quoque vtilitatem pro eorum declaratione, que in iudicio gesta sunt, interponere & exercere potest, vt inquit Berous in cap. solita. num. 14. extra de restitut. spoliat.

CAP. CCXXXVI.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, puniendo delictum de quo exactis constat.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio potest punire & condemnare præsertim, quando delictum fuit commissum in actis causæ.
- 2 Iudex semper ex officio suo potest punire partes, vel extraneos, quos in iudicio male versari adinaduerit.

DVcentesimo decimo primo limitatur, quia Iudex ex suo iudicio supplere potest: & præsertim, quando delictum in actis causæ committitur, vt habetur in c. fama, extra de sententia excommuni. & in l. ita vulneratus. ff. ad l. 8. qui. & tradit Abbas in c. olim ex literis, num. 11. extra de rescript. Nam Iudex semper ex suo officio partes vel etiam extraneos, quos viderit in iudicio male versari, punire potest, argumento d. l. nullum. C. de testibus, & hanc regulam inquit posuisse Inno. in c. ex tenore. extra de rescript. & facere ibi text. & rursus idem firmat in c. dilectus, extra de pœnis. & facit etiam tex. in l. moris. ff. eod.

CAP. CCXXXVII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio, an cognoscere possit de iis, que antelitem contestatam, vel post, & quomodo, & quando.

DVcentesimo decimo secundo limitatur, quia Iudex ex suo officio videtur de iis, que antelitem contestatam vel post cognoscere posse, vt inquit Capol. in l. adiles. §. item sciendum, numero 14. ff. de adilit. edicto. distinguendo hunc in modum, duos casus. Aut enim quærimus de iis, que accidunt ante litem contestatam, aut vero de iis que post litem contestatam. Primo casu, quando tractatur de his, que ante litem contestatam accidunt: & tunc subdistinguit. Quia aut accidunt extra iudicium, aut in iudicio. Si igitur casu, quando extra iudicium accidunt, & tunc aut sunt damna, & tunc ad iudicem spectare dicit, etiam quod in libello petita non sint: Nam si exceptio proponatur satis est. l. cum autem, in principio, & §. Iulianus, in 2. responso. ff. de adilit. edicto. Et hoc si redhibitio fiat in iudicio: si vero extra iudicium, & tunc pro damno etiam ex vendito actio competit. d. l. cum autem, in princ. & tradidit Capol. in eadem l. in 1. notabi. & 4. in sine, & in prima oppositione: & hoc casu, vt in libello petantur necesse est. Aut vero sunt accessiones vel fructus, aut similia, & tunc ad Iudicem non

spectant & ideo vt in libello comprehendantur & petantur necesse est: & ita loquatur ibi ille tex. & declarat gl. in verbo. prestare. Hoc tamē limitatur, si sint iudicia iniuncta nominatim à lege, vt inquit ibidem esse casum Capolla, iuxta intellectum Guido. de Suza. & dixit supra in 4. notabilis. Hæc autem procedunt in iis quæ ex parte actoris sunt: at secus ex parte rei l. sumptus. ff. de rei vendic. Paterea hæc quoque inquit procedere, & locū habere in inferioribus à Principe vel Papa: Secus in Pontifice vel Principe, vt dixit in primo notabili ad eandem legem. Secundo vero casu cum in iudicio contingunt: & tunc aut loquimur de iudicis officio generali. quod iurisdictionem respicit vel libelli ineptitudinem: & tunc ad iudicem spectent, l. 2. §. post originem, & l. quos prohibet. ff. de postulan. cum similib. supra relatis à Capol. in eodem loco, in 6. & 8. oppositione. Aut vero loquimur de officio iudicis speciali, quod ius partis respicit: & tunc aut sunt talia, quæ possunt sub petitione facta ab actore comprehendendi: & tunc ad iudicē spectent. l. solemus. ff. de iudic. & inquit ibidem dixisse in 4. oppositione. Aut claudi non possunt, & tunc non spectent, vt ibi, in prin. intelligendo illum textum, in his, quæ contingunt in iudicio ante litis contestationem, nisi nominatim à parte iniuncta non essent, vt habetur in d. l. sancimus. C. de iudic. vt voluit Cynus ibi, in 8. quæst. Secundo vero casu principali, quando de his quærimus, quæ accidunt post litem contestatam: & tunc aut possunt peti alia principali actione, & tunc ad iudicem non spectant, nec veniunt in eo iudicio: sed vt in alio iudicio petantur, necesse est. l. 1. C. de iudic. & tradit Bart. & sequuntur Doct. ibi. Aut non poterant peti alia actione: & tunc aut loquimur in actionibus bonæ fidei, aut stricti iuris. Si in actionibus stricti iuris, & regulariter non pertinent, vt inquit dixisse supra & in 7. oppositione. Si vero in bonæ fidei actionibus: & tunc aut loquimur de his quæ principaliter veniunt: & tunc ad iudicem non pertinent, nisi petant. l. non potest. ff. de iudic. aut de his, quæ accessorie veniunt, & tunc inquit spectare, vt ibi. & inquit dixisse ibidem, in quinta oppositione.

C A P. CCXXXVIII.

A R G V M E N T V M.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, fundando se in eo, quod pars impugnavit.

S Y M M A R I A.

- 1 Pars ex eo fundari non potest quod infirmavit.
- 2 Iudex ex suo officio potest in eo se fundare, quod pars impugnavit. & quando & quomodo.

DVcentesimo decimo tertio limitatur, quia licet pars ꝑ ex eo quod impugnavit, se fundare non possit. Iudex tamen in eo quod ꝑ pars impugnavit, se fundare potest & in eo vim facere, vt oportere ex stimaverit, vt inquit Barto. in l. post legatum, colum. 3. vers. ad vnum tamen aduerse. ff. de his quibus vt indign. & Ant. à Barrio in c. licet causam, colu. 11. vers. quæro cum glo. extra de probatio. vbi tradit etiam Aret. col. 20. & iterum Aretin. in l. 1. §. si quis simpliciter.

colum. fin. ff. de verb. obligat. & in c. presentium, colum. 8. & seq. extra de testib. & Alexan. in cons. 183. col. 1. in fine, vol. 5. & Decius in c. at si clerici, col. 8. extra de iudic. & Imola in d. c. licet causam, col. 5. in fine. vers. an iudex. qui id intelligit, vbi cunque inde sequeretur, vt alter cum aliena iactura locupletaretur, vt videretur vel le etiam Felin. ibidem, col. penult. & rursus Felin. qui id declarat, in c. capitulum, colum. 11. in 6. limitatione, extr. de rescrip. & Ruin. in cons. 21. col. 3. volu. 1. & in cons. 47. col. 3. vol. 1. & in cons. 190. vol. 3. in fi. eodem vol. 1. & in cons. 135. col. 3. vol. 4. & in cons. 154. colu. 2. volu. 5. & in cons. 158. col. 5. vol. 5. vbi declarat & refert Ant. Gabr. lib. 5. de reg. iur. conclus. 1. num. 58. Id autem intelligitur, quando dicta pars aliis probationibus intentionē suam fundaret: si vero pars, quæ illud instrumentum impugnavit & produxit, intentionem suam in vi illius instrumenti fundaret, & sententiam obtineret tunc iudex vi illius instrumenti partem negantem impugnantem eatenus releuabit, quatenus apparet iudici partem meliori iure vt: quia id iudex ex suo officio facere potest, licet pars ipsa id allegare non possit. l. vbi pactum. C. de transact. & ibi notatur, iuxta magis communem opinionem Azonis, vt inquit Barto. in d. l. post legatum. & id voluit etiam Innoc. in d. c. cum olim. & tradit Alex. in d. l. 4. §. hoc autem iudiciū, num. 24. ff. de damno infecto. referens se ad ea, quæ dixit Bal. in d. l. tale pactum col. fin.

C A P. CCXXXIX.

A R G V M E N T V M.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, fundando se in iis quæ ex actis non constant.

S Y M M A R I A.

- 1 Iudex ex suo officio potest se fundare ex iis, quæ sibi ex actis non constant, & quomodo id procedat.
- 2 Iudicis animus, ex quibus moueri possit, & quomodo.
- 3 Iudex potest supplere defectū productionis illius, quod inter partes coram iudice gestum est, si de ea scriptura confecta sit, si talis scriptura non producat ad fidem faciendam, & quid si fiat productio coram alio iudice.
- 4 Instrumentum non productum non probat, sed priuatam scientiam inducit.

DVcentesimo decimo quarto limitatur, ꝑ quia Iudex ex suo officio, vt inquit Natra in consilio 276. nu. 2. volumine secundo. potest in iis se fundare, quæ illi ex actis non constant, vt voluit Bal. in l. 1. C. de manu vindic. Et subdit animaduertendum esse, Bal. ibi loqui, cum iudici aliquid constat: etsi in processu scriptum non reperitur, vt puta in confessione coram eo viua voce & ore tenus facta. Ex eo nāque Iudicis animus ꝑ moueri posse arbitratur per ea quæ notantur in l. quories. §. si. ff. de probat. Subdēs ibid. Bal. animus iudicis moueri posse, conceptum tamen suum non aperire censere, si sequatur illum sui animi motū. Verū Natra id attendendum non existimat: nam ex quo Bal. inquit animus iudicis inde moueri posse, satis etiam eū intellexisse ex eo appa-

apparet, ut illa confessio vim probationis habeat, alioquin satis absurdū esse eius dictū. Inquit tamen Natta eo in loco, cum Bal. conuenire, quatenus idem Bal. in d. l. quoties, §. fi. inquit, quicquid inter partes coram iudice gestum est, si de eo scriptura conficiatur: & si illa scriptura deinceps non producat, 3 posse tamen iudicem defectum illum productionis supplere: quandoquidem ea, quæ inter partes coram eodem iudice geruntur, etiam si aliter non producatur, fidem faciūt. At ecōtra, si causa coram alio iudice agatur: productionem omnino opus esse: acta nanque supplere non potest, & huiusmodi suppletio re & verbo fieri potest, ex quo alteri iudici de eo non constet ut iudici. Et sic Bal. ibidem manifeste sentire videtur, quod etiam idem iudex in iis, quæ coram eo gesta sunt, se fundare non possit, nisi scriptura interueniat, & siasserat probationem in eo casu necessariam non esse: Et id inquit ex eo comprobatur, quod notat iterum Bald. in l. fin. colum. 1. versic. tertio consideret. C. de edicto diui Adrian. 4 tollend. dum inquit, quod instrumentum in iudicio productum, non probat ob id, quod iudici nō concludat ut iudici, sed priuatam quandam scientiam: & id inquit probari per tex. in d. l. quoties, §. fi. & in c. quoniam contra, extra de probat. & in l. iubemus. C. de liber. caus. Præterea quod instrumentum adlatum iudici in thalamo, ut magis instruat, fidem non faciat, voluit Pau. Castren. in l. prima, §. editiones, circa finem, de eden. Et subdit Veronæ obseruari: ut licet in iudicio producatur, attamen nisi pars aduersa vtatur ac etiam copia cum termino ad opponendum offeratur, fidem non facere, ut inquit Bart. in extrauaganti, ad reprimendum, in verbo, de plano, & Ludou. Rom. in consil. 156. honorande Domine, circa principium. & in consilio 119. in casu proposito. & Aret. in §. appellantur, in vltimis verbis. Institut. de exceptio. Verum quicquid dicat Natta, videtur iudicem in iis, quæ pars falsa est, coram iudice fundari posse: & præsertim in iudicio: quia nulla maior probatio est partis confessione.

CAP. CCXL.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio errorem suum corrigere potest.

1 D Vcentesimo decimo quinto limitatur, quia ut inquit Niconitius in d. c. quoniam contra falsam, num. 115. extra de probat. vbicunque tractatur de iudicis errore, licet tractetur tunc de priuata utilitate seu interesse, Iudex tamen ex suo officio supplere potest, l. eos, §. fin. & l. iudicibus. Cod. de appellat. Quia Iudex etiam non requisitus errorem suum corrigere potest: & suam interlocutoriam mutare vel reformare, ut est text. in cap. qualiter & quando, extra de accusatio. & ibidem latius subdit, & nos supra latius attigimus.

CAP. CCXLI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio monitu etiam partibus supplere potest.

D Vcentesimo decimo sexto limitatur, quia Iudex ex suo officio monitu etiam partibus supplere potest, ut inquit Bal. nouellus in tract. de dote. in 6. parte, priuileg. 18. & Roman. in consilio 427. vbi ponit casum, & refert Card. Alben. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, num. 1. ff. de damno infecto, ut puta ne in peritium incidat, nisi suppleat. & subdit ibidem idem Card. nonnulla de hoc videnda apud Felin. in c. super literis, col. 15. extra de rescrip.

CAP. CCXLII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio decretum interpositum, in quo pars fuit decepta, annullare potest.

D Vcentesimo decimo septimo limitatur, quia Iudex ex suo officio decretum interpositum, in quo pars decepta fuit, annullare potest, ut firmat Ioan. And. in c. consultationibus, extra de offic. delegat. & Bal. in l. vnica, num. 9. C. de confess. & Hippol. Mars. in singu. 220. & Petrus Duen. in regul. 188. in 8. casu.

CAP. CCXLIII.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex impartiri potest, compellendo creditorem ad restitutionem pignoris soluto debito.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio potest ad restitutionem pignoris condemnare soluto prius ei quicquid debetur.
2 Iudex potest pronunciare super eo, quod succedit ei, quod principaliter petitur.

D Vcentesimo decimo octauo limitatur, quia Iudex ex suo officio potest creditorem soluto illi suo credito ad pignoris restitutionem condemnare, ut voluit Barr. in l. eum qui ita, §. qui ita, ff. de verbo, oblig. & tradit Afflic. in decis. 32. num. 3. Et ideo inquit dixisse Ioan. de Anania. in c. licet Heli. in l. fi. Iudicem posse super eo iudicare, quod ei succedit, quod principaliter petitur, ut est text. in c. constitutus extra de religio. domib. & idem dicit Bal. in l. fi. col. 1. C. de fideicommiss. & in his terminis voluit iterum Bal. in l. cum eorum. C. de senten. & interloc. om. iud.

CAP. CCXLIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio exceptione non opposita, si aliquid constat ex eadem scriptura eius rationem habet.

D Vcentesimo decimo nono limitatur, quia Iudex ex suo officio exceptione etiam non opposita: si aliquid ex eadem scriptura constet eius rationem in ferenda sententia habere debet, ut inquit Matth. Afflic. in decis. 16. numero 5. & habetur in dicta Leum qui ita, & tradit ibi Bartol. ff. de verborum obligatio.

CAP. CCXLV.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, possessionem quibusdam casibus verbaliter transmittendo.

SUMMARI A.

- 1 Possessio licet regulariter constituto non transferatur vel alio actu ficto iudicis vel eius executoris: attamen si aduersarius impediatur, solo aspectu vel alio actu ficto transfert.
- 2 Possessionis missio vel realis apprehensio si tyranni vi impediatur verbalis sufficit.
- 3 Possessionis apprehensio si impediatur vi aduersarii transfertur a iudice, etiam quod non deneniatur in locum, vnde bona vel res inspicere possint.

D Vcentesimo vigesimo limitatur, quia licet regulariter possessio per constitutum non transferatur, vel quolibet iudicis, vel eius executoris actu ficto: attamen si aduersarius eius transmissionem impediatur, solo aspectu alioque actu ficto possessionem tradere potest, ut inquit Tiraquel. in tract. de iure constit. in 3. parte, limit. 17. num. 7. per text. in l. cum vnus. & in l. quamuis. ff. de bonis auctorita. iudi. possid. & tradit Bar. ibidem & Bal. in l. si postquam, post principium. C. vt in possess. legat. & iterum tradit Bald. in l. 2. C. ne vxor pro mari. vbi ex eo text. notat, quod si vi tyranni realis apprehensio impediatur, seu in possessionem immissio verbalem sufficere, & ad hoc adducitur etiam text. in l. si finit a. §. illud queritur. & §. si quis motu. & §. fin. ff. de dam. infect. & in cap. contingit, extra de dolo & contum. & voluerunt Bart. Cuman. Rom. Alex. Aret. Ias. & Ripa in d. l. 1. in princip. ff. de acqui. poss. & iterum Bar. in d. l. cum vnus. §. fin. ff. de bon. auctor. iudi. possid. & Alber. in d. l. 1. in si princi. & iterum in §. si iusserim. col. 1. vers. vnus tamen est casus. ff. de acqui. poss. & Ang. in l. 3. §. si. vbi etiam tradit Imola, eod. tit. & Butrius in d. c. cum aliquibus, vbi etiam Panorm. & late Felin. extra de re iudic. & Aret. in l. certi conditi. §. de posui. col. 1. vers. Quadam est ficta ff. si cert. pet. & Ripa in tract. de peste, lib. 2. priuilegio. 19. contractuum. Et ita vera est huiusmodi conclusio, vt ei solus Ang. & sibi etiam contrarius in d. l. 1. in prin. paulo ante finem. ff. de acq. poss. repugnet, & contradicat: Et ideo subdit ibidem Tiraquel. nu. 10. priori conclusioni tanquam frequentioribus calculis receptæ & comprobatae standum esse. Quæ quidem adeo vera est, vt etiam licet in rei contemptum ob dolum & auctoritatem aduersarii deuentum non sit, locum habeat, vt est text. in d. c. contingit. extra de dolo & contum. quem ad hoc notat ipse Ang. in d. l. 3. §. fin. col. fin. ff. de acqui. poss. & voluit etiam Bal. in d. l. 2. C. ne vxor pro marito. & Aret. Ias. & Ripa in d. l. 1. in princip. ille, col. fin. & alter. colum. pen. vers. Amplia notabiliter hic. col. 15. n. 65. ff. de acqui. poss. & Fel. in c. scum aliquibus, extra de re iudic.

CAP. CCXLVI.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, deficiendo in secunda in-

stantia vigore litis contestationis primæ instantiæ.

SUMMARI A.

- 1 Iudex appellationis ex suo officio altera parte presente & contradicente, vt lis contestetur, efficere potest & ad definitiuam vi litis contestata in prima instantia deuenire.
- 3 Contestatio litis, an in causa appellationis necessaria sit.

D Vcentesimo vigesimo primo limitatur, quia vt inquit Ripa in l. naturaliter. §. nihil commune, nu. 190 ff. de acqui. poss. Iudex per appellationis altera parte presente & contradicente, ne lis contestetur, ad sententiam definitiuam vi contestationis factæ in prima instantia in eius odium peruenire potest, per ea, quæ voluit Matthes. in notabili 66. Nam licet illa conclusio, quod in causa appellationis contestatio necessaria sit, distinctionis fœdere concordari soleat, vt scilicet altera partium absente, & sic supposita contumacia litis contestatio necessaria non sit. l. si. §. illud, C. de tempo. appellat. & tradit Bar. in d. §. nihil commune, cum satis sit in prima instantia contestatam fuisse. c. per tuas, extra de appell. Et contraria conclusio vtraque parte presente obtinuerit, altera tamen parte repugnante, vt ex prædictis apparet, Iudex ex suo officio ad definitiuam sententiã peruenire potest. Hanc declarationem & conciliationem inquit secutam fuisse Rotam in decis. 8. in nouis, & recentiores Perusinos in d. c. per tuas. Id autem subdit eodem in loco Ripa procedere, & locum habere existimare, si prius iudex partibus præceperit, vt litem contestetur cum ea comminatione, quod alioquin pro contestata habeatur, vt declarat Pau. Castren. in cons. 215. in causa qua vertitur. & Soc. in cap. quoniam frequenter, in fallen. 79. extra de lite non contestat. & Aret. in cons. 8. vers. ad secundum motiuum.

Hæc autem conclusio videtur in illis locis limitari, in quibus vt alias diximus, statuto vel lege aliqua municipali caueatur aliquibus diebus elapsis causam & litem pro contestata haberi debere.

CAP. CCXLVII.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, reiiciendo casum notorium ab ordine iudicii.

SUMMARI A.

- 1 Iudex in notorio iudicium agitari & causam in iudicium deduci ferre non debet.
- 2 Notorius ordo est ordinem non seruare.

D Vcentesimo vigesimo secundo limitatur, quia Iudex ex suo officio iudicium agitari & causam in iudicium deduci, ferre non debet, vt est text. & ibi notant DD. in c. quoniam, extra de filiis presbyt. & tradit Ioan. And. & sequuntur Doct. in c. 1. de lit. contest. in 6. Panor. in c. exceptionem, extra de except. & Alex. in d. l. eum qui ira ff. de verbor. oblig. & in l. nam & postea. in prin. ff. de iureiu. & refert Thom. Gram. in decis. 46. n. 40. & 41. Rationem autem eam esse inquit, quia in notoriis

notoriis ꝛ ordo est, ordinem non seruare, vt inquit Bald. in c. ad nostram, il. 3. extra de iure iur. & voluit Abbas in c. super dis, extra de pœnis. Et ideo infert ibidem Gramm. in his casibus appellatione admittendam non esse, sed etiam in causa capitali sententiam exequendam esse.

CAP. CCXLVIII.

ARGVMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, puniendo delictum notorium.

S V M M A R I A.

1. Iudex ex suo officio vt pœna rei imponatur, mandare potest, etiam quod non præcesserit condemnatio.
2. Notoriis in iudiciis pronuntiatio proprie sententia non est, sed quadam iuris executio.
3. Ordo iuris in notoriis relaxatur.

D Vcentesimo vigesimo tertio limitatur, quia in delicto notorio Iudex ꝛ pœnam reo imponi & exequi etiam non præcedente condemnatione mandare potest & imponere, vt inquit Abbas in c. super his, extra de pœnis. & ita subdit tenere Innoc. in c. ex parte. il. 1. extra de verb. sign. & Abbas in d. cap. ad nostram, extra de iure iur. & And. Barb. in c. euidencia, in fi. extra de accus. Et id maxime procedit, cum quis in flagranti crimine reperitur: nam tunc iudex ab executione incipere potest, vt inquit Castren. in l. nullam. C. ex quib. cau. infamia irrogetur. Quia, vt inquit Inno. in c. ex parte, il. 1. in notoriis ꝛ iudiciis pronuntiatio, sententia proprie non est: sed iuris quadam executio, vt refert & sequitur Roman. in consil. 324. in proposita consultatione. vers. secunda quidem. Mouentur autem eadem ratione, quod in notoriis iuris ordinem non sequamur, vt est tex. in c. que Lotharius 2. q. 1. & Bal. in l. presbyteri. C. de episco. & cleri. & in l. ea quidem C. de accusatio. & Imol. in c. si. extra de cohabita. cleri. & mulier. & in l. 2. §. si publico, extra de adulter. & Bal. in l. 1. C. de iudic. & Per. de Anch. in consil. 197. subtiliter & ad plenum. Vbi etiam subdit in notoriis ꝛ iuris ordinem relaxari, pe. tex. in c. 1. extra de election. & in d. c. ad nostram, extra de iure iur. & idem voluit Fely. in c. ecclesia sancte Maria, extra de constitut. & sequitur Hippoly. Marsil. in rubric. de probatio. nu. 217. versis. pro quibus facit.

CAP. CCXLIX.

Argumentum est in Summario.

S V M M A R I V M.

1. Iudex ex suo officio cum aliqua super articulatis ambiguitas oritur, supplere potest & agere.

D Vcentesimo vigesimo quarto limitatur, ꝛ quia iudex ex suo officio, cum aliqua super iam articulatis ambiguitas oritur, iterum supplere & agere potest, vt inquit Bal. in l. per hanc, num. 5. Cod. de tempo. appella. per ea, que voluit Specula in titulo deposit. §. suppl. nisi appelletur, & facit tex. in l. fin. §. 1. C. de appellat.

CAP. CCL.

ARGVMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, condemnando in criminalibus, etsi partes transegerint.

S V M M A R I A.

1. Iudex licet reus & actor concordent & conueniant, potest tamen in criminalibus iudex in contrarium pronuntiare.
2. Feris partes licet renuncient, quo tamen ad testes durare dicuntur.

D Vcentesimo vigesimo quinto limitatur, quia licet reus & actor conueniant, Iudex ꝛ tamen ex officio contra eorum conuentionem & concordiam in criminalibus pronuntiare potest, licet in ciuilibus secus sit. l. si conuenerit. ff. de re iudic. Et ideo inde arguit Bal. quod licet partes feris renuncient, subsistunt tamen quo ad testes: quia in testium præiudicium, eorumue iniuriam non valet partium consensus, vt ibi, & inquit de hoc meliorem textum non extare.

CAP. CCLI.

Argumentum est in Summario.

S V M M A R I V M.

1. Iudex offensum ad pacem faciendam, an cogere possit.

D Vcentesimo vigesimo sexto quoniam supra diximus Iudicem ad pacem faciendam partes hortari posse: ꝛ an etiam cogere possit offensum ad eam faciendam, dubitatum est: In hac dubitatione Bal. in l. 1. §. quies. ff. de offic. prefetti vrbs, vt eum cogere possit arbitratur, licet quis potius suadendus quam compellendus videatur. l. ex stipulatione. C. de senten. & interlocut. omn. iud. Nam punire potius delinquentem & iniuriam illatam dicendum videtur & sic præuenire ne fiat pro viribus conari debeat. Curandum igitur est vt aliquo perpetrato delicto pœna in primis soluatur, & deinde compellitur iniuria affectus pacem facere, si periculum sit, ne scandalum sequatur, alioquin iudex in syndicato tenetur, vt habetur in S. oportet, in Authen. de mandat. Princ. vt inquit etiam Bal. in l. continet. ff. de integ. restit. & in l. cum affines. C. de liber. causa. & in c. 1. extra de pace & treug. & in l. 1. ff. de offi. prefetti vrbs, & rursus idem tradit in c. venerabilem, extra de electio. & in leg. 2. ff. ad Senatusconsult. Sillania. & Bart. in l. ambitiosa. ff. de decret. ab ordi. facien. & iterum Bartol. in l. ex stipulatione. C. de senten. & in l. quos prohibet. ff. de postulan. & Ioan. And. in additio. ad Specul. in §. sequitur: in tit. de pignor. & Homod. de Castel. in tract. syndicat. carta 12.

CAP. CCLII.

ARGVMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, compellendo laicos ad pacem.

S V M M A R I V M.

S V M M A R I A.

- 1 Index duos laicos litigantes ad pacem & concordiam cogere potest.
- 2 Arbitrarius licet non possit se intromittere in ius, qua non continentur in compromisso, fallit in casu pacis & in foro conscientia.
- 3 Offensus licet non possit cogi ad pacem in foro seculari & contentioso, potest tamen in foro conscientia.
- 4 Compromissum si fiat in clericos tantum non in laicos pro bono pacis, & in causa spirituali poterunt se intromittere.
- 5 Arbitrarius pro bono pacis potest attingere ea, qua non continentur in compromisso.
- 6 Iudices non solum iustitiam debent ministrare, sed partes etiam concordare, & lites pace terminare.

D Vcentesimo vigesimo septimo redeundo ad rem propositam, pacem ineundam firmandum est & duos laicos litigantes ad concordiam compelli posse, ut inquit gl. in c. placuit, 90. distinctio. & tradit Rom. in consilio 224. & in consilio 327. & in c. secundo, extra de desponsa. impuber. & in cap. causa, qua. extra de testibus, & in c. quarelam, extra de simo. & in c. fin. extra de transactio. & in dicta l. aequissimum. ff. de usufruct. & Barto. in l. furti. ff. de his, qui notan. infam. & gloss. in cap. potuit, 90. distinctio. Qua de causa habemus etiam, quod licet arbitrarius in eis se intromittere non possit, quæ in compromisso non continentur, nec in eo casu partis ius minuere, l. non distinguemus. §. de offi. ff. de arbi. & cap. examinata, extra de confirma. vtilit. & l. arbor. versicul. vestibulo. ff. commun. pradia. Attamen ea conclusio in casu pacis limitatur, ut dixit Bar. in l. Aquiliana. ff. de transactio. & est text. in §. fin. Institut. de iniur. Et licet offensus in foro seculari & contentioso ad pacem compelli non possit, id tamen in foro conscientia locum non habet, ut inquit Bald. in d. §. quies, & in cap. quies. extra de preben. & in c. de his. vbi gloss. extra de maior. & obed. vbi gloss. & Doct. quoque tradunt in l. si de meis. §. recepisse. ff. de arbi. & in l. si societatem. §. arbitrorum. ff. pro socio. Prædictis etiam addendum est, quod si in pro pace in causa spirituali compromissum in clericos tantum fiat, & non in laicos, c. 2. & c. ex parte. attamen propter pacem & iudex delegatus casum ei commissum, & decidere potest. Item etiam Iudex propter pacem in causa spirituali si compromissum fiat in clericos tantum, non in laicos, c. 2. & 3. c. ex parte. & c. contingit. extra de arbi. Vnde propter pacem potest iudex delegatus decidere casum sibi commissum, & idem quoque arbitro dicendum est: Nam propter pacem in iis quæ in compromisso non continentur, se intromittere potest. cap. nisi de preben. & voluit etiam Bar. in d. l. Aquiliana. ff. de transactio. & in l. si meis. §. recepisse. ff. de arbit. Nam iudices non solum iustitiam administrare debent, sed partium quoque concordiam & unionem procurare, litemque pace terminare. c. causam extra de testibus, & c. 1. extra de mutu. petitio. & c. quarelam extra de simo. Præterea quod Iudices partes ad pacem & concordiam cogere possint, est text. in dict. l. aequissimum. ff. de usufr. & c. fin. extra de transactio.

C A P. CCLIII.

Argumentum est in Summario.

S V M M A R I V M.

- 1 Iudex ex suo officio dolose à partibus gesta corrigere debet.

D Vcentesimo vigesimo octavo limitatur, quod & Iudex ex suo officio dolose à partibus gesta corrigere debet, ut inquit Marf. in consilio 89. numero 23. volum. 2. & antea voluit Innocen. in cap. bona, in si. extra de appellat. & ibid. Ioan. And. in nouella, quos refert & sequitur Bal. in c. fin. §. fin. col. 1. in tit. quo temp. miles. & iterum Bal. in sua Margarita. in vers. iudex appellationis. & voluit Alex. in l. sepulchri violati. ff. de sepulcho violat.

C A P. CCLIV.

Argumentum est in Summario.

S V M M A R I V M.

- 1 Iudex ex officio exceptionem falsitatis euidenti sponte & nemine requirente, opponere debet.

D Vcentesimo vigesimo nono limitatur, quia iudex & ex suo officio exceptionem falsitatis euidenti sponte & nemine requirente opponere debet. Et ratio est, de qua supra sæpe mentionem fecimus, quia iudex ex suo officio debet occurrere euidenti & manifestæ iniquitati, ut inquit Pet. de Ancha. in cons. 211. de iure commun. in si. & notatur in l. vbi pactum. C. de transact. & refert Hippoly. Marf. in d. cons. 89. num. 22.

C A P. CCLV.

Argumentum est in Summario.

S V M M A R I V M.

- 1 Iudex ex suo officio delinquentem etiam sine accusatore puniri debet.

D Vcentesimo trigesimo limitatur, quia & iudex ex suo officio delinquentem etiam sine accusatore seu non accusatum punire debet, ut dixit Inno. in c. qualiter & quando, il. 2. extra de accusa. quem refert & sequitur Bal. in Margarita, in verbo, iudex, in vlt. col. in vers. 3. & Hippol. Marf. in d. cons. 89. nu. 24.

C A P. CCLVI.

Argumentum est in Summario.

S V M M A R I V M.

- 1 Iudex ex suo officio potest punire crimen obiectum in exceptione.

D Vcentesimo trigesimo primo limitatur, quia Iudex & ex suo officio crimen obiectum in exceptione punire potest, ut inquit Bal. in addit. ad Specu. in tit. de instr. edit. in vers. per exceptionem. & tradit Hippol. Marf. in d. cons. 89. num. 24.

C A P. CCLVII.

Argumentum est in Summario.

S V M M A R I V M.

- 1 Iudex in iurisdictione voluntaria impartitur officium suum sibi ipsi.

D Vcentesimo trigesimo secundo limitatur, & quia iudex in iurisdictione voluntaria sibi ipsi

ipfi officium suum impartiri potest. *l. si consul. ff. de adoptio. nec alterius petitio requiritur, ut inquit Bar. in l. 2. alias 1. §. seruus communis. ff. de stipul. seruo. & facit illud, quod dixit iterum Bart. in l. 1. §. a municipibus. ff. de bono. posses. & refert Ripa in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, num. 44. ff. de damno infecto.*

CAP. CCLVIII.

ARGUMENTVM.

Officium iudex impartiri debet, supplendo de cognita veritate.

SUMMARIA.

- 1 Iudex cognita veritate ex suo officio supplere tenetur.
- 2 Exceptio vnus quo ad omnes parit officium iudicis.

DVcentesimotrigesimotertio limitatur, † quia Iudex cognita veritate ex suo iudicio supplere debet, & id quando agitur ad publicam vtilitatem, vt supra saepe diximus, exemplum ponitur in specie. *l. filius familias. §. veterani. ff. de procur. Et ideo dixit Ripa in l. 4. §. Cato, num. 82. ff. de verbor. obligatio. Iudicem ex suo officio teneri militem à iudicio repellere etiam alijs non excipientibus. & tradit Bart. in l. 4. §. hoc autem iudicium. vbi late tradit Ripa. ff. de damno infecto. Et ideo inferunt vnus † exceptionem quoad omnes iudicis officium parere, ita inquit Bartol. eo in loco inferre velle.*

CAP. CCLIX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIVM.

- 1 Iudex ex suo officio, si exceptio nullitatis est euidens & de ea constat ex actis, si victor petat executionem & victus nullam opponat exceptionem, potest ipse exceptionem nullitatis opponere, & victorem ab executione reiicere.

DVcentesimotrigesimoquarto limitatur, † quia vbi exceptio nullitatis est euidens & ex actis constat: si actor petat executionem, victus autem nullam exceptionem opponat, Iudex ex suo officio nullitatis exceptionem opponere potest, & victorem ab executione reiicere, vt inquit Bald. in l. vnica. C. ne lice. vni. ius sibi dicere, vt habetur in l. vbi pactum. C. de transact. & tradit Lanfran. ab Oriano in tract. de interlo. & appell. in vers. videamus de aliquibus, nu. 71. Vbi inquit illius dicti rationem esse, licet Bald. non alleget: quia quando nullitatis exceptio est euidens, ex actis iudici notorium esse, & ideo ipse de facto supplere potest: cum in iis, quæ Iudici ex actis constat, ei notoria dicatur, & ideo de facto supplere possit, vt notat Innocen. & supra saepe diximus in c. per tuas, extra de testib. & in c. ex insinuatione, extra de appellatio. & Angel. in l. si quis. ff. de inoffic. testam. & in l. plane. ff. de petitione heredit. & quia vt diximus, nos supra saepe tractauimus, merito vltius non insisto.

CAP. CCLX.

Argumentum est in summario.

SUMMARIVM.

- 1 Iudex ex suo officio, quando ad definitiuam sententiam deuenire potest, potest etiam parte absente probationes inducere & supplere.

DVcentesimotrigesimoquinto limitatur, quia Iudex ex suo officio vbicunque potest ad sententiam definitiuam deuenire, potest etiam parte absente probationes inducere & supplere, vt voluit Bar. in rub. C. vt quæ defunt aduoc. & latius in d. l. 4. §. hoc autem iudicium. ff. de damno infecto. & in disputatione sua, quæ incipit, Iudex maleficiorum, & in l. si non defendantur. ff. de penis & in l. 1. §. si quis vltro. ff. de questio. & refert Anto. de Canar. in tractat. de excusatio. n. 5. vbi ipse latius prosequitur.

CAP. CCLXI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIVM.

- 1 Iudex cum mors alicuius probanda est, potest ex suo officio parte etiam non citata examinare.

DVcentesimotrigesimosexto limitatur, † quia cum mors alicuius probanda est, ex suo officio parte etiam non citata examinare potest, vt inquit Bal. in cap. 1. §. porro, extra vt lite non contestat. & refert Rober. Maranta in l. is potest. num. 148. ff. de acquir. her. & id inquit valde notandum esse ad eorum limitationem, quæ habentur in cap. 2. extra de resitut. spoliato. & in l. si quando, C. de testib.

CAP. CCLXII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIVM.

- 1 Iudex etiam fama non præcedente potest ex officio inquirere, si delictum adhuc faciendum est, vt futuro delicto obuietur & testes etiam sine iuramento recipere.

DVcentesimotrigesimoseptimo limitatur, quia vt inquit Innocen. in cap. primo, colum. fina. extra de postu. prelato licet † regulariter inquisitio pèdente infamia facienda sit. cap. qualiter, il secundo, extra de accusatio. & cap. Deus, secunda quæst. 1. si tamen delictum adhuc commissum non sit, sed committendum, Iudex etiam infamia non præcedente ex officio inquirere potest, vt futuro obuietur delicto, ac etiam testes sine iuramento recipere, vt inquit etiam Petrus Rebuffus in l. vnica. C. de sentent. quæ pro eo quod interest, num. 172. per ea vltra prædicta, quæ voluit Barba. in additio. ad Bald. in c. nullus. 61. distinctio. & licet Barba. nihil deducat, ipse tamen Rebuffus citat gloss. in cap. si duo, in verbo, testimonium, in titul. de pace tenen. in vsib. feud. quæ est singul. vt inquit Bald. ibi. & rursum idem dixit Barbat. iterum in tractat. de præstan. Cardin. in 2. quæstio. 2. partis, colum. fina. & Socin. in tracta. fal-len. Regula 424. & iterum idem Barba. in rub. C. qui admitt. columna 24. & Alexand. in consilio 112. in causa, in fine, vol. 4.

CAP. CCLXIII.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, recipiendo testes ad Curia informationem sine iuramento.

SUMMARIA.

- 1 Iudex testes recipiens ad informationem curia eos etiam sine iuramento ab eis accepto recipere potest & parte non citata.

2 *Matrimonium vt impediatur contrahendum satis est presumptiue affinitatem probare: secus vero ad dirimendum iam contractum.*

3 *Infamis licet non admittatur ad denunciandum delictum commissum: admittitur tamen ad committendum denunciandum, vt futuro proueniatur delicto.*

4 *Promouendum ad officium & dignitatē quilibet de populo impugnare potest, & si contra iam promotum non admittantur nisi ille cuius interest.*

5 *Sacerdos in genere confessionem reuelare potest, ita tamen, vt nec indirecte per id in cognitionem penitentis deueniri possit.*

1 **D** Vcentesimo trigesimo octauo limitatur, quia quando iudex † recipit testes ad curiæ informationem, eos etiam sine iuramento recipere potest: & parte non citata, vt inquit Hippol. Mars. in l. de vnoquoq, n. 84. ff. de re iud. & tradit etiam Pet. Rebuffus in d. l. vnica, n. 73, C. de sent. que pro eo, quod inter. & inquit facere gl. in c. per tuas, il. 2. extra de simo. inquit ex eo satis excusari quod delictum committendum esset, ex quo ei prouenire curauit. Id ex eo comprobari videtur, quod voluit glo. satis singularis in c. 2. extra de hereti. & illud, quod notant Dd. in c. nouit, extra de iudi. videlicet si peccauerit in te frater tuus, &c. Nam hoc dictum licet quoad commissum, sit consilium: est tamen quo ad iam commissum præceptum satis etiam id videtur confirmari ex eo, quod voluit Anchar. in c. tertio loco, extra de presumptio. & Ioann. Andr. in cap. præterea, extra de testibus, dum volunt † ad impediendum matrimonium contrahendum si affinitas probetur, presumptiue satis esse: & si id quo ad dirimendum iam contractum, locum nō habeat. Faciunt præterea ad rem nostrā ea, quæ dicit Goffredus, quem refert Abbas Panor. in c. cum in tua, extra de sponsal. dum voluerunt

2 & concludunt, quod licet infamis † ad delictū iam commissum non admittatur: ad committendum tamen denunciandum admitti debere, & id eadem ratione sæpe repetita, vt futuro delicto proueniatur, vt voluit Brun. in c. ex parte A. extra de testibus, & refert Barba. in cons. 64. scribitur, colum. 1. volum. 1. Vbi expresse habetur contra promouendum ad aliquod

3 officium seu dignitatem, quemlibet † ex populo contradicere posse: at contra iam promotum admittendum non esse, nisi eum, cuius interest. Præterea pro prædictorum confirmatione habemus

4 etiam sacerdotem, † confessionem in genere reuelare posse, ita tamen, vt nec indirecte per id in cognitionem penitentis deueniri possit, licet alioquin prohibeatur, vt est text. in c. 2. extra de offi. ordin. Nam si expresse viam impediendi delictum inuenire nesciat, vel non possit, licet ei alias querere, & intentare, vt est text. & ibi tradit Innocent. in capit. omnis, colum. 2. in fin. cum sequent. extra de peniten. & remisio. vbi etiam tradit Petrus Rebuffus.

CAP. CCLXIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Iudex ex officio potest inquirere in omni delicto, quod conspiratione committitur: & si quando aliqui conspirant, vt faciant aliquod delictum.*

D Vcentesimo trigesimo nono limitatur, † quia iudex ex suo officio potest de quolibet delicto inquirere, in quo conspiratio interuenit, & sic etiam quando plures ad aliquod malum peragenda conueniunt, vt est text. & ibi Bald. in l. 1. C. de monopo. Quænam autem sit pœna talium conspirantium, seu conuenticula facientium, tradit Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vlt. parte prin. in qu. 4. prin. num. 106. versic. secundus casus, et si aliquando huiusmodi conuenticula licita sint, vt cum bonum finem respiciunt.

CAP. CCLXV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Iudex generaliter ex officio in prouincia vel ciuitate, qua regit, inquirere potest.*

D Vcentesimo quadagesimo limitatur, † quia iudex ex suo officio generaliter in prouincia vel ciuitate, quam gerit contra omnes delinquentes: vt eam huiusmodi prauis hominibus purget, inquirere potest, vt publicam quietem in eis statuatur & firmet, vt est text. in l. 3. & in l. congruit. ff. de offic. presid. & tradit Maran. in suo Speculo aureo, in 6. & vltim. par. in 4. quest. princ. num. 115. versic. 10. casus. Iniuria namq; facta clerico, Deo facta dicitur: & ipsam Ecclesiam tangit vt voluit gloss. in cap. nonnulli, 3. quest. 3. & habetur in cap. accusatio. 2. q. 7. & est text. & ibi tradit Abbas in c. 2. extra de foro compet. & iterum Abbas in cap. cum sit generale, col. 2. eod. tit. Vnde etiam patet ex prædictis etiam de blasphemia in Deum collata inquire posse, & quemlibet accusare: quia illa vere Dei offensio est, vt notat Bar. in l. 1. col. 2. ff. de public. iudic. & est text. in auth. vt non luxurientur, per totum, & in auth. alearum lusus. C. de religio. & refert Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vlt. parte prin. nu. 116. versic. vndecimo inquiret.

CAP. CCLXVI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Iudex ex suo officio inquiret, quando hæres facit inuentarium, & creditores dicunt plus esse in bonis quam sit descriptum in inuentario.*

D Vcentesimo quadagesimo primo limitatur, † quia iudex † ex suo officio inquiret, quando hæres facit inuentarium: creditores autem dicunt plus esse in bonis, quam in inuentario descriptum sit: Nam in eo casu creditoribus instantibus potest iudex ex suo officio inquirere & probationes de domo hæredis accipere torquendo seruos hæredis vt est text. & ibi tradunt Docto. in l. fina. §. licentia, il secundo. C. de iure deliberan. Hæc tamen inquisito, vt inquit Maranta in d. suo Speculo aureo, in 6. & vltim. parte, nu. 117. versic. duodecimo, inquit non est ex mere officio, cum fiat an instantiam & petitionem creditorum, vt ibi latius ipse dicit.

CAP. CCLXVII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Iudex ex suo officio inquiret in causa naufragij.*

Ducez.

DVcentesimoquadragesimosecundo limitatur, quia iudex ꝑ suo officio in causa naufragii inquirat, ac etiam in omnibus causis à naufragio dependentibus contra subripietes bona ipforum naufragum: fitque huiusmodi inquisitio libere & summarie, vt est text. & ibi tradunt Doct. in l. quoties, & in l. de summarijs. C. de naufra. lib. II. & refert Maranta in d. suo Speculo aureo, in 6. & vltim. parte principali, & in 4. quæst. prin. nu. 118. vers. decimotertio.

CAP. CCLXVIII.

ARGVMENTVM.

Officium iudex non rogatus impartiri potest, puniendo producentem falsam scripturam.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio inquit contra producentem scripturam falsam, vel suspectam in iudicio.
- 2 Scriptura redditur suspecta ex eo solo, quod in loco aliquo suspecto rasuram aliquam habet.
- 3 Iudex potest punire de falso scripturam suspectam producentem, & si quod sit falsa clare nõ probetur.
- 4 Suspicio transfert onus probandi in aduersarium.

DVcentesimoquadragesimotertio limitatur, quia iudex ꝑ ex suo officio contra producentem falsam scripturam vel suspectam in iudicio: eumque ex sola scripturæ productione punire potest, nisi eam veram esse probauerit, vt est text. & ibi tradit Bald. & Salyc. in d. l. iubemus. C. de probatio. Vbi inquit scripturam ꝑ ex eo ipso suspectam reddi, quod aliquam rasuram habet in loco suspecto. Vnde infertur ad species plures, quæ quotidie in iudicijs versantur, & præsertim quod iudex ꝑ producentem suspectam de falso punire potest, etsi clare & manifeste falsam esse nõ probetur: Et id speciale esse inquit Maranta in d. Speculo aureo, in 6. & vltim. part. prin. num. 120. vers. decimoquinto inquit, & ratio specialitatis est, quia in aliis criminibus probationes luce meridiana clariores esse debent. l. fin. C. de probatio. At in hac sola ꝑ suspicio onus probandi contrarium in ipsum transfert producentem: & suspicio pro veritate habetur, vt inquit Lucas de Penna in l. si vacantia, col. 2. vers. est etiam in eo aliud speciale. C. de bonis vacant. lib. 10.

CAP. CCLXIX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex inquit incidenter contra testes deponentes falsum.

DVcentesimoquadragesimoquarto limitatur, quia iudex ꝑ incidenter contra testes falsum deponentes inquit, vel in iudicio titubates: eosq; ex officio punire potest, vt est text. & ibi tradit Bald. & Doct. sequuntur, in l. nullum. C. de testib. & in c. superbia, extra de pœnis, & notat Bart. in l. 3. §. præterea. ff. de suspect. tuto. Et idem quoq; in producente falsos testes locum habet: nam eum quoque ex suo officio punire potest, vt inquit Maranta in d. suo Speculo aureo, in 6. & vlt. parte princ. num. 121.

CAP. CCLXX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio de iuribus ecclesia inquirere potest.

DVcentesimoquadragesimoquinto limitatur, quia iudex ꝑ ex suo officio de iuribus Ecclesiæ, & beneficio Ecclesiastico contra beneficij possessorem inquirere potest, vt doceat quo titulo possideat: nec non etiam contra possessorem alterius rei Ecclesiasticæ, vt voluit Innoc. in c. ad nostram, il. 2. extra de iureiurand. & Bald. in l. ciuile. C. de furt. & Bald. in l. sancimus. C. de sacrosanct. eccles. & rursus Bal. in l. cogi, colum. 2. C. de petitio. heredit. & in l. 2. C. quomodo & quando iud. & notat gloss. & sequuntur Doct. in cap. 1. de reg. iur. lib. 6. ac etiam excommunicare potest. cap. dilecto, de sent. excom. lib. 6.

CAP. CCLXXI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio inquit in omnibus casibus, in quibus accusator non probans excusatur.

DVcentesimoquadragesimosexto limitatur, quia iudex ꝑ ex suo officio in omnibus illis casibus inquit: in quibus accusator non probans excusatur à præsumpta calumnia, qui numerantur à gloss. in l. athletas. §. calumniator. ff. de his, qui nozan. infamia. & voluit Bar. in d. §. calumniator.

CAP. CCLXXII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio inquit contra eos, qui tenent bona pauperibus distribuenda, alijsve pijs causis.

DVcentesimoquadragesimosextimo limitatur, quia Iudex ꝑ ex suo officio inquit contra tenentes bona pauperibus distribuenda, alijsve locis pijs, vt inquit Bart. in l. si vacantia. C. de bonis vacant. lib. 10. Id quod pro iis notandum est, qui ad legata pia exequenda deputantur, & quatenus exequuta non sint applicanda fabricæ sancti Petri de Vrbe, eorumve hæredes, qui non adimpleuerint, vt notatur in auth. hoc amplius. C. de fideicommiss. & tradit Bartol. in l. ne quicquam. §. fin. ff. de off. procons. & in l. seruo alieno, in princ. ff. de leg. 1. & iterum Bart. in l. Quintus. ff. de annu. legat. & in l. seruos. ff. de alimen. & cibar. leg. & Alexand. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, num. 4. ff. de damno infecto.

CAP. CCXXIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio inquit de omni crimine, vbi accusator colludit seu præuaricatur.

DVcentesimoquadragesimo octauo. limitatur, quia Iudex ꝑ ex suo officio inquit vbi accusator interuenit colludens seu præuaricans, vt est text. in l. fallaciter. C. de abolitio. per quem text. ita tenet Bal. in l. iubemus, col. 1. C. de probatio.

CAP. CCLXXIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio, nemine etiam accusante, contra calumniatorem inquirat.

DVcentesimo quadragesimonono limitatur, quia iudex † ex suo officio etiam nemine accusante contra calumniatorem inquirat, vt declarat Bart. in l. 1. col. 1. ff. ad Senatuscons. Turpil. vbi est text. in §. 1. & tradit Maranta in d. 6. & vlt. parte prin. nu. 128. Et eam inquit esse rationem, quia illud dictum coram iudice calumniose committitur: & ideo merito Iudex inquirat, vt inquit idem Maranta in d. 6. & vlt. parte sui Speculi aurei, num. 16. & 17. versic. secunda principalis questio. & ita dixit Bartol. in d. l. 1. col. 1. ff. ad Senatuscons. Turpil. & tangunt Bartol. & Doct. in l. 1. C. de calumnia. & iterum Bartol. in l. 2. §. si publico, colum. 3. versic. quarta regula, & c. ff. ad l. Iuliam de adulter.

CAP. CCLXXX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio propter incidentem questionem inquirat.

DVcentesimo quinquagesimo limitatur, quia Iudex † ex suo officio propter incidentem questionem inquirere potest. quandoquidem vbiunque incidenter de crimine illo inquirere potest, vt est text. in l. penult. C. si aduers. libert. per quem text. ita firmat Bartol. in d. l. 2. §. si publico, col. 2. in fine, versic. Secunda regula, & c. ff. ad l. Iuliam de adulter. & tradit Bald. in l. quod euitandi, num. 1. C. de condic. ob turpem causam.

CAP. CCLXXVI.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex non rogatus impartiri potest, inquirendo in iniurias Scholari illatas.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio inquirat de iniuria collata in scholarem.
2 Scholarium priuilegium.

DVcentesimo quinquagesimo primo limitatur, quia Iudex † ex suo officio de iniuria in scholarem collata inquirat. Et in hoc casu speciale esse dicunt, vt iudex de priuato crimine † sine accusatore inquirat, vt inquit Bald. in auth. habita, colu. 6. versic. alias scripturis, & c. C. ne filius pro patre. Vbi illud etiam addit solum rectorem ciuitatis vel prouinciae inquirere, non autem Episcopum vel Doctorem legentem, & tradit Maranta in suo Speculo aureo n. 6. & vlt. parte princ. in 4. questio. principali. num. 131.

CAP. CCLXXVII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio inquirat de delicto à suo officiali commisso in officio.

DVcentesimo quinquagesimo secundo limitatur, quia iudex † ex suo officio de delicto commisso in officio à suo officiali inquirat, & id si in officio commissum sit indistincte verum est & procedit: si vero eius officialis extra officium deliquerit: & tunc ita demum inquirat si delictum notorium sit, & non aliter, vt inquit Bartol. in l. si quis forte. §. 1. ff. de penis. & est text. vbi notant Doctores in l. 2. C. de sportu. & facit etiam illud quod notat Bartol. in l. senatus. ff. de offic. presid. & tradit Maranta. eodem in loco, numero 132.

CAP. CCLXXVIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio specialiter de omni crimine inquirat, super quo primum præcessit inquisitio generalis ad delinquentes inueniendos & prouinciam purgandam.

DVcentesimo quinquagesimo tertio limitatur, quia Iudex † ex suo officio specialiter de omni crimine inquirat, super quo prius inquisitio generalis ad delinquentes inueniendos & prouinciam à malis hominibus purgandam præcessit, iuxta l. congruit. ff. de offic. presid. Ratio autem est, quia illa inquisitio generalis ad specialem subsequentem præparatoria est: & frustra sane fieret, nisi deinde contra repertos delinquentes ad particularem inquisitionem deueniretur, vt inquit Bald. in l. iubemus. colum. 2. versic. & est sciendum. C. de probatio. & iterum Bald. in l. ea quidem, colum. 7. versic. tertio, & c. C. de accusatio. & Bart. in d. l. 2. §. si publico, col. 3. in princ. versic. tertia regula. ff. ad l. Iuliam de adulter. pro quo est text. in l. 4. §. mandatis. ff. ad legem Iuliam pecul. & Bald. in d. l. congruit, in l. lectura, & Abb. in c. bona, il. col. 3. in 6. notabili, extra de electione.

CAP. CCLXXIX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio inquirat contra filium, qui impias manus in patrem vel matrem intulit, vel eos contumelijs affectit.

DVcentesimo quinquagesimo quarto limitatur, quia Iudex † ex suo officio contra illum filium inquirat, qui impias manus in patrem vel matrem intulit, eosve contumelijs affectit. Et ratio est, quia Reipublicæ interest tales iniurias vlcisci, talesque ita delinquentes punire, vt est text. in l. 1. §. si filius. ff. de obsequi. à libe. patr. præstan. & tradit Maranta in suo Speculo aureo, in sexta & vltima parte principali, in 4. quest. prin. num. 136.

CAP. CCLXXX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio contra custodem carcerum inquirat.

DVcentesimo quinquagesimo quinto limitatur, quia Iudex † ex suo officio contra custodem carcerum inquirat, quia precio corruptus vincula carcerato non adiecit: vnde carceratus aufugerit, vel pariter pecunia adductus ferrum aliquod, limam, aut venenum in carcerem adduci permiserit, vt est text.

text. in l. carceri. ff. de custo. reorum. & tradit Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vltima parte principali, quest. 4. principali, num. 137.

CAP. CCLXXXI.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, inquirendo contra lenones.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio inquit contra lenones, qui mulieres ad luxuriam alliciunt.
- 2 Mulier inuita luxuriari, quando dicatur.

D Vcentesimoquinquagesimo sexto limitatur, quia Iudex † ex suo officio contra lenones inquit, qui mulieres ad luxuriam allicere conantur, castitatisq; corruptores dicuntur, & ideo iudex eos & ciuitate expellere potest ac punire, vt habetur in §. sancimus, in Auth. de lenoni. Et ibi Ang. addit eum, qui mulierem pecunia, non promissione decipit, & huiusmodi promissione vel numeratione adulteratur, puniri pœna statuti de adulterante inuitam loquentis: & ratio est, † quia inuita dicitur etiam ea mulier, quæ sub auri promissione decipitur, vt inquit idem Maranta, in dicto suo Speculo aureo, in sexta & vltima parte principali, questio. 4. principali, numero 138.

CAP. CCLXXXII.

ARGUMENTVM.

Officium suum impartiri potest Iudex, inquirendo de lenocinio.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio sine accusatore de crimine lenocinij inquit.
- 2 Crimen lenocinij maius adulterio reputatur.
- 3 Adulterij de crimine, an possit inquiri ex officio nemine accusante.

D Vcentesimoquinquagesimo septimo limitatur, quia Iudex † ex suo officio de crimine lenocinij nemine etiam accusante inquit, vt est text. in d. l. 2. §. si publico. ff. ad l. iul. de adul. Ratio autem, vt infra apparebit est: quia hoc † crimen maius adulterio reputatur, vt inquit Angel. in tracta. malefic. che me hai adulterata, & c. in fi. Pulchrum autem dubium est, an de crimine adulterij, ex officio † nemine accusante inquiri possit? Hac in re Angel. in dicto versicul. che me hai adulterata, & c. colum. 3. versicul. quero, an de adulterio, & c. vt inquiri possit arbitratur, cum crimen publicum sit, per text. in d. §. si publico. Contrarium autem verius esse censuit Afflic. in decis. 176. dum inquit de adulterio ex officio non inquiri, nisi notorium sit. Hanc conclusionem tenet etiam iterum idem Afflic. in constitutione, legum asperitate, colum. 4. Vbi distinguit hunc in modum: Aut præcessit accusatio mariti vel alterius, aut non: Primo igitur casu, quando scilicet præcessit: licet deinde desierit: Iudicē ex suo officio inquirere posse arbitratur. Secundo vero casu, quando nulla accusatio præcessit: & tunc inquirere non possit, ne fœdentur cōnubia matrimonij, iuxta text. in l. constante. ff. ad l. Iuliam, de adult. & in l. quamuis adulterij, C. de adult. & ibi latius per eum.

CAP. CCLXXXIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio semper inquit, cum quis in flagranti crimine reperitur.

D Vcentesimoquinquagesimo octauo limitatur, quia Iudex † ex suo officio semper inquit, cum quis in flagranti crimine reperitur, ab officialibus & ministris Curia, vt puta in ipso delinquendi actu, vt inquit Andr. de Isernia in consuet. regni, incipiente, humanitate, colum. 2. & 3. & Maranta in eodem suo Speculo aureo, in 6. & vltima parte principali, in quest. 4. principali, num. 140.

CAP. CCLXXXIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio perpetuo de crimine læsæ maiestatis inquit.

D Vcentesimoquinquagesimo nono limitatur, quia Iudex † ex suo officio semper & perpetuo de crimine læsæ maiestatis inquit contra ipsum Principem vel suorum collateralium commissio, vt est text. & ibi tradit Bart. in extrauag. ad reprimendum, & tradit Maranta eodem in loco, num. 142.

CAP. CCLXXXV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio sine accusatione inquit contra insignes latrones & fures & grassatores in siluis latitantes.

D Vcentesimo sexagesimo limitatur, quia Iudex † ex suo officio sine vlla accusatione seu querela præcedente inquit contra insignes latrones, fures grassatores itinerum in syluis latitantes: & alios similes: eosque punit ordine iudiciario. l. capitalium §. famosos. & §. grassatores. ff. de pœnis. & l. constitutiones. ff. de appellatio. & Marant. eod. in loco, numero 143.

CAP. CCLXXXVI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio inquit contra inobedientes & turbantes suam iurisdictionem & contra rebelles & contumaces.

D Vcentesimo sexagesimo primo limitatur, quia Iudex ex suo officio inquit contra inobedientes & turbantes suam iurisdictionem: ac etiam contra rebelles & contumaces vt pœnas legitimas multa q; imponat, vt probatur in l. 2. C. de sportu. & in l. 1. ff. si quis ius dicen. non obtempe. & tradit Bal. in d. l. iubemus. col. 2. in fin. in vers. sexta. C. de probatio. & habetur in l. eos. C. de modo mult. & toto titulo. ff. de requiren. reis, & in l. addictos. C. de episcop. audien.

CAP. CCLXXXVII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio inquit contra socios criminis.

D Vcentesimo sexagesimo secundo limitatur, quia Iudex † ex suo officio contra socios criminis inquirat in casibus, in quibus licita est interrogatio de sociis, quos numerat gloss. in l. fin. in fi. C. de accus.

CAP. CCLXXXVIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio de homicidijs & damnis clandestinis inquirat.

D Vcentesimo sexagesimo tertio limitatur, quia Iudex † ex suo officio de homicidijs damnisque clandestinis, ubi nullus accusator apparet, inquirere potest.

CAP. CCLXXXIX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio inquirat de omni crimine, in quo antea accusator interuenit: & pendente appellatione in iudicium deducta moritur.

D Vcentesimo sexagesimo quarto limitatur, quia Iudex † ex suo officio de omni crimine inquirat, in quo accusator interuenit: sed pendente accusatione in iudicium deducta mortuus est. Iudex namq; in eo casu prosequi dicitur, ne delicta impunita supersint, vt inquit Bar. in l. 3. §. 1. col. fin. ff. de liber. agnoscer. per text. in l. defuncto. ff. de public. iudic. & in l. pen. in prin. vbi Bar. eod. tit. & tenet iterum Bar. in simili, de accusatore absente, in l. inter accusatorem. ff. de public. iudic. & habetur in c. 1. & 2. extra de collusio. detegen. & tradit Maranta in d. suo Speculo aureo, in 6. & vlt. parte prin. in 4. quest. prin. num. 147.

CAP. CCXC.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio de necessitate ciuitatis inquirere potest, & ciuium subditorum, & presertim tempore penuria annonæ, compellendo dominos ad vendendum frumentum & annonam iusto pretio.

D Vcentesimo sexagesimo quinto limitatur, quia Iudex † ex suo officio in casu necessitatis ciuitatis, & aliorum ciuium subditorum, & presertim cum est annonæ penuria inquirere potest, & dominos ad eam iusto pretio vendendum compellere. l. 1. §. fi. ff. de offic. prefec. vrbis. vbi tradit Bartol. & recentiores in l. nec emere. C. de iure deliber. Id tamen limitatur in ijs, qui frumentum & alia ad viuendum necessaria pro suo & familiarum usu & necessitate habent. Ratio autem est, quia ordinata charitas incipit à se ipso. l. praes. C. de seru. & aqua. & ita inquit And. de Iser. in proem. constit. col. 1. vbi allegat illud Euangelij Matthei: Ne forte non sufficiat vobis & nobis: Ita potius & emite vobis, & tradit Maranta in dicta 6. & vlt. parte principali, in 4. quest. prin. nu. 148.

CAP. CCXCI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio contra aduocatos & procuratores calumniosos, & tumultuarios & se in suo officio male gerentes inquirere potest.

D Vcentesimo sexagesimo sexto limitatur, quia Iudex † ex suo officio inquirat contra aduocatos & procuratores calumniosos & tumultuarios, & male se in suo officio gerentes, ac etiam si sint infames: Iudex namq; ex suo officio eis interdiceret potest, ne postulent vel procurent: eisdemq; actus omnes forenses prohibere potest, vt est tex. in d. l. 1. §. fin. ff. de offic. prefec. vrbis. & in l. moris, in prin. §. 1. ff. de panis. & in l. 1. §. remouet. ff. de postul. & in l. quos prohibet, eod. tit. & tradit Maranta in eodem loco, num. 149.

CAP. CCXCII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio de crimine falsa monete inquirat.

D Vcentesimo sexagesimo septimo limitatur, quia Iudex † ex suo officio de crimine falsa monete inquirat nemine etiam postulante, vt est text. & ibi notant Doct. in l. 1. C. de falsa moneta.

CAP. CCXCIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio ad denunciationem factam ab officiali ad deferendum deputato, inquirere potest.

D Vcentesimo sexagesimo octauo limitatur, quia Iudex † ex suo officio ad denunciationem illi factam ab officiali ad crimina referenda deputatum inquirere potest: Vt puta exempli gratia, si officiales pro debito sui officij perquirant lufores: vel arma gerentes aliosque huiusmodi delinquentes: Nam ex quo hi in flagranti crimine, vt supra ad aliud propositum diximus, reperiuntur, & de notorio crimine Iudici denunciari possunt: Iudex ad eorum denunciationem inquirere potest & debet: Alioquin litem suam facit, vt inquit Bald. in l. iubeamus, colum. 2. vers. 2. C. de probatio. per text. in l. fin. C. ne sanctum Baptis. vere. & est etiam tex. in l. ab accusatorum §. nunciatores. ff. ad Senatus cons. Turpil. & notat plene Bar. in l. Diuus. ff. de custo. reor. Vbi satis late tangit effectum huiusmodi denunciationis, & rursum Bar. in l. 2. §. si publico, col. 2. in fi. vers. do regulas. prima est, & c. ff. de adul. & Maranta in d. suo Speculo aureo, in 6. & vlt. parte, in 4. quest. prin. num. 157.

CAP. CCXCIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex officio contra syndicantes inquirere potest.

D Vcentesimo sexagesimo nono limitatur, quia Iudex ex suo officio de omissis & commissis à syndicis in eorum officio syndicati contra officiales, quos in syndicatu iudicauerint, inquirere potest: contra eos namq; non solum ad partium querelam procedi potest, sed etiam via inquisitionis, vt inquit Maranta in d. suo Speculo aureo, in 6. & vlt. parte, prin. & in 4. quest. princ. nu. 167.

CAP. CCXCV.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex impartiri potest, inquirendo in vinosos, aleatores ociosos bene vestitos sine prouentu, & similes.

SUM-

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio inquit contra frequentantes popinaria, lusores ludis vetitis: nec non frequenter rixantes & obambulantes plateas, & eos qui sine arte nec exercitium aliquod facientes viuunt, & non habent prouentum & vestibus satis bonis induuntur.

2 Notorium inducitur probatione decem testium.

1 D Vcentesimo septuagesimo limitatur, † quia Iudex ex suo officio inquit contra frequentantes popinas, lusores ludis prohibitis, frequenter rixantes, armaque gerentes: Item contra obambulantes plateas: & iuuenes, qui cum nulla exercitia habeant, & ideo nihil lucentur, & prouentum non habent seu (vt aiunt) redditum vestibus satis dignis & pretiosis ultra eorum vires incedunt: Huiusmodi enim homines cuilibet scelerum generi incumbere presumuntur, hi enim omnes si decem testibus coniungantur ad certum tempus in triribus condemnari debent, vt inquit Maranta in d. suo Speculo aureo, in ff. & vlt. parte, in 4. qu. prin. num. 168. per constitutiones regni. Vbi inquit probationem decem testium † notorium inducere, vt inquit Bald. in auth. quod locum, in fine. in versic. decimo queritur. C. de collatio. At in notoriis Iudex inquirere potest, vt supra pluries, vt oportuit, diximus, & est text. in l. ea quidem. C. de accusatio. & habet. in l. i. C. de custo. reor.

CAP. CCXCVI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio etiam sub pena tenetur in crimine monopolij procedere & inquirere.

1 D Vcentesimo septuagesimo primo limitatur, quia Iudex † ex suo officio etiam sub pena tenetur in crimine monopolij procedere & inquirere, vt est text. in l. i. §. omnia, & in fi. C. de monopol. & tradit Augst. Berous in cons. 171. num. 1. vol. 3.

CAP. CCXCVII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio in qualibet pia causa inquirere potest.

1 D Vcentesimo septuagesimo secundo limitatur generaliter, licet nonnulla particularia supra in aliquibus speciebus attigimus: quia Iudex † ex suo officio in qualibet causa pia inquirere potest: nam Iudex tam Ecclesiasticus: quam secularis inquirere, & ex officio in causis piis ipsarum Ecclesiarum procedere potest, vt puta pro iuribus Ecclesiarum, & generaliter in omnibus causis animæ periculum concernentibus. Exemplum etiam esse potest super pœnitentia imponenda, vt de omnibus prædictis tradit Abbas in c. ad nostram, il 2. col. 2. extra de iurururan. & notat Bald. in l. mulierem. C. si maxci. ita vene. ne prostit. & habetur in cap. primo, extra de offic. ordin.

CAP. CCXCVIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio suadente æquitate in casu non prouiso prouidere potest.

D Vcentesimo septuagesimo tertio limitatur, quia Iudex † ex suo officio suadente æquitate in canon prouiso prouidere potest, vt inquit Paul. Castrens. per illum text. in l. 5. in princ. ff. de verbor. obligat. & Sequitur Socin. in l. iuste possidet, columna 2. ff. de acquir. poss. & Niconitius in c. quoniam contra falsum, nu. 102. & 103. extra de probatio. Vnde exempli gratia dicunt, quod si statutum quicquam opponi posse prohibeat, vel fieri per modum actionis, vel officij iudicis, intelligitur huiusmodi statutum de officio à parte implorato, non autem de eo Iudicis officio, quod ipse Iudex ex sua libera voluntate & arbitrio æquitate suadente supplet, vt inquit Rom. in cons. 42. vifis, qua egregie & eleganter, colum. pen. num. 4. & iterum Rom. in cons. 244. pro euidentia dicendorum, in fine. Et id diligenter notandum esse subdit Niconitius, quia frequens est, & sæpe in facto contingit.

CAP. CCXCIX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio locum & alia necessaria, ne iudicium reddatur elusorium, supplere potest.

D Vcentesimo septuagesimo quarto limitatur, † quia Iudex ex suo officio locum & alia necessaria, ne iudicium reddatur elusorium & fauore publicæ utilitatis, ne falsitas impunita remaneat, supplere potest, vt notat Abbas, in cap. causam, in 14. quest. nu. 10. & 17. extra de iudici. & tradit Ferrar. Gargiareus in cons. 125. num. 6. in 1. volum. consil. crimin. diuersi: & Decius in d. c. dilecti, extra de iudic. vbi expresse habetur, Iudicem libelli vitia ex suo officio supplere & tollere posse.

CAP. CCC.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex nemine accusante contra tutorem suspectum inquit.

D Vcentesimo septuagesimo quinto limitatur, † quia Iudex ex suo officio nemine etiam accusante, contra & de suspecto tutore inquit: & non solum inquirere potest, sed etiam de officio tutoris remouere, si ipsum vere suspectum esse reperiat, vt est text. vbi tradit Bart. in l. 3. §. præterea. ff. de suspecto tuto. Et in ipsa perquisitione potest in formatione à seruis pupillorum assumere. l. fin. in prin. de suspecto tuto. Hic enim fauore pupillorum alius casus specialis est, in quo Iudex ad priuatam utilitatem inquit, vt habetur in d. §. præterea. cum, vt alias diximus, in contrarium sit regula disponens ad priuatam utilitatem inquiri non posse, vt voluit Bart. ibidem. & Ang. in tract. malefic. in versic. incendiario, col. 2. & notant Doct. in c. exhibita, extra de iudic. & iterum tradit Bart. in l. si vacantia. C. de bonis vacan. libro 10. & refert Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vltim. parte prin. in 2. casu prin. num. 119.

CAP. CCCI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio de dando curatore furiosis inquit.

DVcentesimo septuagesimo sexto limitatur, quia Iudex ex suo officio inquirere potest & debet qualitates curatorum, qui furiosis dantur, ut est text. in l. nec quicumque §. aduocatos, vbi Bartol. & Doct. ff. de offic. procons. & in l. 1. §. ait prator, & ibi gloss. ff. de postul. & refert Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vlt. parte princ. in 2. casu princ. num. 158.

CAP. CCCII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio de idoneitate tutoris inquirat, & præsertim cum mater petit dari tutorem filio.

DVcentesimo septuagesimo septimo limitatur, quia iudex ex suo officio de idoneitate tutoris inquirat, & præsertim cum mater filio tutorem dari petit. Eo namque casu & in aliis similibus Iudex potest de ipsa idoneitate tutoris inquirere, videreque an sint alij legitimi tutores, qui magis idonei sint eo, quem mater petit: & tunc ex suo officio petitum à matre repellere potest, & alium magis idoneum eligere, ut voluit Bald. in l. precibus, colum. 6. versic. & scias quod matri, & c. de impuber. & alijs subsistit & refert Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vlti. parte princ. num. 163.

CAP. CCCIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio supplere potest, committendo ut testes examinentur, qui iam iurauerant coram eo dicere veritatem.

DVcentesimo septuagesimo octavo limitatur, ex eo, quod Iudex ex officio supplere potest, ut puta ut examinentur testes, qui iam iurauerant coram eo veritatem dicere, ut est text. notabilis in l. si quando, versic. iudices provideant. C. de testib. quem ad hoc valde notabilem reputat. Bald. in l. 2. C. de edend. & refert & sequitur Alex. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, num. 21. versic. item adde quod iudex. ff. de dam. infec.

CAP. CCCIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio supplet circa interrogatoria testibus facienda.

DVcentesimo septuagesimo nono limitatur, quia Iudex ex suo officio, quatenus opus est, supplet in interrogatorijs testibus facienda, ut notabiliter declarat Innoc. in cap. per tuas, extra de testib. & Specul. in titul. de teste §. iam de interrogatorijs. in princ. & Bald. in l. gesta, C. de iudic. & in l. testium. C. de testib. & notat gloss. & sequuntur Doct. in capit. cum causam, qua inter archiepiscopum, extra de testamen. & tradit Alex. and. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, num. 2. ff. de damno infecto.

CAP. CCCV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Pontifex & Imperator in casibus, in quibus sunt iudices indistincte pro libito eorum voluntates suppleant.

DVcentesimo octuagesimo limitatur, quia summus Pontifex & Imperator in casibus, in quibus iudices sunt, indistincte & prout volunt, supplere possunt, text. est in cap. cum olim, extra de elect. & in cap. bona, extra de postul. prelat. & utrobique tradunt gloss. & Doct. & eandem conclusionem sequitur Alex. and. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, num. 28. ff. de damno infec. cum multis concordantibus, que breuitatis causa omittuntur.

CAP. CCCVI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio post conclusum in causa potest semel vel pluries interrogare, an insultus factus sit?

DVcentesimo octuagesimo primo limitatur, quia iudex postquam in causa conclusum est, potest semel vel pluries, an insultus factus sit, interrogare, ut inquit And. Barbat. in cons. 9. col. 5. numero 31. volum. 2. Et ideo inquit Bald. dixisse in cap. fin. extra de probatio. post conclusionem in causa acta scripta fuisse opponi posse: id quod rursus tenuit idem And. Barbat. in cons. 30. col. 2. num. 8. vol. 1. per ea, que voluit And. ab Ifernina in c. 1. §. si quis hominem, in titulo de pace tenen. in v. sib. feudo. argumento cap. cum Ioannes Eremita, extra de fide instrumen.

CAP. CCCVII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex, quando est questio de adiuuanda accusatione, ex mero suo officio testes recipere potest.

DVcentesimo octuagesimo secundo limitatur, quia quando de adiuuanda accusatione questio est, Iudex ex suo mero officio testes recipere potest, ut notant omnes fere Scribentes in l. idem est. §. si tibi. ff. de conditio. ob turpem caus. & iterum tradunt Doct. in Auth. de tabellion. §. 1. col. 4. cum sua gl. qua idè expresse firmare videtur: & in c. si tam in text. quam in gloss. in verbo. gratiam, quam ad hoc reputat valde notandam Scribentes, extra de collusio. detegen. & tradit Ioann. Mileus in sua practica criminali, in §. quartus testis, in si. & in aditione, num. 26.

CAP. CCCVIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

Iudex ex suo officio ferias opponere potest.

DVcentesimo octuagesimo tertio limitatur, quia Iudex ex suo officio ferias opponere potest, & si à parte non opponatur, ut inquit Bald. in l. 1. C. qui admit. & refert And. Barbat. in cap. ex tenore, nu. 28. extra de rescript.

CAP. CCCIX.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex impartiri potest, assumendo innocentia probationes vsq; ad sententiam.

SUM-

SUMMARI A.

- 1 Iudex ex suo officio probationes ad innocentiam firmandam vsq; ad sententiam recipere potest.
- 2 Procurator potest interuenire, vbicunq; pœna non excedit relegationem.

D Vcentesimo octuagesimo quarto limitatur, † quia Iudex ex suo officio innocentiae probationes assumit vsque ad sententiam, vt inquit Marc. Anton. Blanchus in sua pract. crimin. in §. visis iudicijs, nu. 13. Nam si id potest in ciuilibus, certe inulto magis in criminalibus procedere dicendum est, vbi multo maius periculum versatur, vt inquit Bar. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, col. pen. vers. secundo casu. ff. de damno infecto. vbi Alexander & recentiores sequuntur. Quia vbicunq; pœna † vsque ad relegationem est, procurator potest interuenire.

CAP. CCCX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIVM.

- 1 Iudex ex suo officio actis inherere potest, licet pars aduersa protestetur procedere quatenus pro ea faciunt.

D Vcentesimo octuagesimo quinto limitatur, quia licet pars producens acta ea producere protestetur, quatenus in eius fauorem faciant, Iudex † tamen ex suo officio inherere potest, quatenus contra eam faciunt, vt inquit Bald. in l. 1. c. vt qua desunt aduoc. & refert And. Barbat. in c. ex tenore, nu. 29. extra de rescript. Ratio autem est, quia dicitur ei tunc vt iudici constare: & dicit de hoc esse text. in l. properandum. §. cum autem, vers. cul. terribiles in medio proponuntur scriptura. C. de iudic. & est gloss. in l. 1. §. editiones. ff. de edendo. & tradit etiam Innoc. in cap. cum olim, extra de censib.

CAP. CCXI.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex impartiri potest, inquirendo in venditionem ancillae, sub pacto ne prostituatur.

SUMMARI A.

- 1 Iudex ex suo officio inquiri, quando ancilla sub pacto ne prostituatur vendita est, alias sit libera, si emptor pactum non obseruet.
- 2 Libertas tollit omnes maculas in seruitute impressas.

D Vcentesimo octuagesimo sexto limitatur in casu, quo ancilla sub eo pacto venditur, ne prostituatur, alioquin libera efficiatur: quando quidem si venditor pactum non obseruet, Iudex † ex suo officio inquiri: eamque exhiberi mandat, vt ad libertatem perueniat, vt est text. & ibi tradit Bal. in l. mulierem. C. si mancip. ita venie. ne prostitua. & tradit Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vltim. parte princ. in 2. casu, num. 108. Haec autem limitatio in mancipiis non Christianis forte locum habebit, cum Christiana mancipia Iudaeis habere non liceat. Illud tamen adnotandum est, quod habetur in l. penult. ff. de his, qui notan. infam. dum ibi dicitur, Imperatorem Severum rescripsisse mulieris famae non obfuisse quæstum eius in seruitute factum. Et si in 2. l. athleras, vers. Pomponius, eodem tit. dicatur, † eum

qui lenocinium in seruitute exercet etiam si fiat liber, infamem remanere: Nam gloss. ibi soluit id ideo in lenone accidere, quia in se & in alio delinquit: & ideo maiori pœna afficiendus sit. Hoc idem extendit Ang. in l. Imperator, qua est penult. ff. de his, qui notan. infam. ad moniales, quæ iusta aliqua de causa monasterio recesserit: nam non dicitur ob id quod monasterium ingressa sit, infamis effecta:

CAP. CCCXII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIVM.

- 1 Iudex ecclesiasticus ex suo officio quando episcopus de coniugibus suspicatur, potest de impedimento matrimonij inquirere, vt separentur.

D Vcentesimo octuagesimo septimo limitatur prædicta conclusio, quando Episcopus de coniugibus suspicatur: nam eo casu potest iudex † Ecclesiasticus de quolibet matrimonij impedimento inquirere, ad hoc vt separentur, vt est text. in c. porro, in si. & ibi tradit Abbas, extra de diuor. & notat gloss. in cap. 1. vers. canones, extra de offic. ordin. & tradit Abbas in cap. ad nostram, il. 2. colum. 2. extra de iureiuran. & habetur in cap. episcopus in synodo, 3. §. quest. 6. & refert Maranta in Speculo aureo, in 6. & vlt. parte princ. & 2. casu prin. num. 112. vers. septimus casus est.

CAP. CCCXIII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIVM.

- 1 Iudex generaliter de omni delicto coram se commissio inquiri, vel in iudicio incidenter.

D Vcentesimo octuagesimo octavo limitatur, † quia iudex generaliter, ex suo officio de quolibet delicto coram se commissio inquirere potest: Vel etiam in iudicio incidenter, dum ipse de aliqua principali causa cognoscit: & id propter continentiam causæ accidit, vt inquit Bald. in l. iubemus, colum. 2. in fine, vers. quinto. C. de probatio. & Bartol. in l. 3. §. præterea. ff. de suspect. tuto. & probatur in l. nullum. C. de testib. & notat Bartol. in l. 2. §. si publico, col. 3. vers. cul. quarta regula, & c. ff. ad l. Iuliam de adult. & in l. si qua pœna. ff. de verbor. signif. & refert Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vltim. parte princ. in 2. casu princ. num. 122. vers. decimo septimo.

CAP. CCCXIV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIVM.

- 1 Iudex ex suo officio inquiri de veritate instrumenti producti in iudicio.

D Vcentesimo octuagesimo nono limitatur, † quia iudex ex suo officio de veritate instrumenti in iudicio producti inquiri, vt est text. iuncta gloss. & tradunt ibidem Bartol. & Ang. in authen. de tabel. in princ. & notat Bart. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, quest. 3. in si. ff. de damno infecto. & refert Maranta in d. suo Speculo aureo, in 6. & vlt. parte princ. in 2. casu prin. in 2. num. 155. vers. inquiri Iudex.

CAP. CCCXV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio inquit de contemptu & contumacia procuratoris, qui administrat pro absente.

1 Dvcentefimononagesimo limitatur, † quia iudex ex suo officio inquit de contemptu & contumacia procuratoris: nam illum ex officio ab administratione remouere potest, & illi officium procuratoris interdiceret, vt est text. in l. eum qui res. C. de procur. & per illum text. inquit Bald. in l. mandatum, col. 4. versic. sexta est. C. manda. & refert Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vltim. parte princ. in 2. casu princ. numero 159, in versic. quinquagesimoquarto inquit iudex.

CAP. CCCXVI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio inquit contra procuratorem, vt doceat de mandato.

1 Dvcentefimononagesimo primo limitatur, † quia iudex ex suo officio contra procuratorem inquit, vt de mandato doceat, ne iudicium vt supra etiam diximus Et iudex etiam post litem contestatam facere potest: vt inquit Abbas in c. nulli, extra de appellatio. & habetur in c. exceptionem, extra de except. & iterum tradit Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vlt. parte princ. in 2. casu princ. num. 159, in vers. quinquagesimoquinto inquit iudex.

CAP. CCCXVII.

1 Dvcentefimononagesimo secundo limitatur, quia iudex ex suo officio inquit de crimine sacrilegij & plagij, vt est text. & ibi tradit Bartol. in d. l. 4. §. mandatis. ff. ad l. Iuliam peculia. & refert Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vlt. parte princ. in 2. casu princ. n. 161. vers. quinquagesimo sexto inquit.

CAP. CCCXVIII.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex impartiri potest inquirendo vt sepeliantur defuncti.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio inquit ad faciendum sepeliri defunctum.
2 Iudex ex officio res hereditarias vendere potest, vel heredes ad vendendum cogere pro sepultura defuncti etiam ante aditam hereditatem.

1 Dvcentefimononagesimo tertio limitatur, † quia iudex ex suo officio inquit ad hoc vt defunctus sepeliantur cogendo heredes ex officio vt ipsum sepeliant: potestq; ex officio vendere † res hereditarias: vel heredes ad vendendum compellere pro sepultura defuncti, etiam ante aditam heredi-

tatem, vt est text. & ibi tradit Bartol. in l. qui erat. ff. fam. l. erisc. & Maranta in suo Speculo aureo, in 6. & vltim. parte principali, in 2. casu principali, nu. 164. versic. quinquagesimonono inquit.

CAP. CCCXIX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio de omni crimine inquit de iure canonico.

1 Dvcentefimononagesimo quarto limitatur, † quia iudex ex suo officio de omni crimine secundum ius canonicum inquit, vt inquit Gandi. in suo tract. malefic. in tit. quomodo de malefic. cognos. per inquisitionem, col. 2. Vbi ponit nonnulla requisita, quæ copulatiue requiruntur, vt inquisitio de iure canonico procedat, vt habetur in c. inquisitionis, & in c. qualiter, & quando, extra accusatio.

CAP. CCCXX.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio rem petitam extimare potest, licet probatum non sit de eius extimatione.

1 Dvcentefimononagesimo quinto limitatur, † quia iudex ex officio rem petitam extimare potest, licet quicquam de eius æstimatione non probauerit. l. si quid ex Pamphilo. §. fin. & ibi notatur. ff. de legat. 2. & tradit Alexand. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, numero 22. ff. de damno infecto. vbi inquit facere text. in in l. semper. §. hoc interdicto. ff. quod vi aut clam. & notat Bartol. & sequuntur alij in l. 1. in fin. C. de sentent. qua pro eo quod interest. & Angel. in l. pre-tia rerum. ff. ad l. Falcid.

CAP. CCCXXI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio supplet condemnando in extimatione, & si non æstimatio, sed res petita sit.

1 Dvcentefimononagesimo sexto limitatur, † quia iudex ex suo officio in expensis condemnando supplet, & si non æstimatio, sed res petita sit: si iudex videat rem vt puta, quia perempta sit, prestari non posse, vt notat Bartol. in l. seruuum. §. fin. ff. de verbo. obligatio. & in l. vinum, in princ. colum. penult. ff. si cert. petita. per illum text. & voluit Bald. in l. fin. C. de fideicommiss. liberta. & refert Alexand. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, numero 22. ff. de damno infecto.

CAP. CCCXXII.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

1 Iudex ex suo officio acta sibi exhiberi iubere potest.

DCentesimo nonagesimo septimo limitatur, quia iudex ex suo officio acta sibi exhiberi iu- bere potest. l. 2. & ibi gloss. in versic. exhiberi. C. de e- dendo. & tradit Rosfred. in l. 1. C. vt qua defunt aduocat. vbi tradit etiam Bald. colum. & refert & sequitur A- lexand. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, numero 23. ff. de damno infecto.

CAP. CCCXXIII.

ARGUMENTVM.

Officium iudicis quid sit, & de A- ctione, & de officij iudicis distin- ctione.

SUMMARI.

- 1 Officium iudicis, quid sit.
- 2 Actio, quibus in casibus à iure inducta non sit, & ideo iudex officium suum impartiat.
- 3 Officium iudicis obligationem non continet.
- 4 Fideicommissa olim nullo iuris vinculo, nullaq; actio- ne debebantur.
- 5 Exclusus legibus aut municipalibus statutis, ab om- ni actione, vel exceptione, ab officij iudicis po- stulatione non excluditur.
- 6 Officium iudicis multiplex.

Quoniam de hac officij iudicis materia, multa diximus: omittendum etiam, quidnam illud sit, & in quibus consistat, non videtur, & si id for- tasse primo loco dicendū videretur, vt inquit Cice- ro libro primo Officiorū. Sciendū igitur est, vbi- cunq; iudex à æquitate motus aliave quacunq; probabili religione, non autem actionis, vel accusa- nis vi, summa iuris necessitate adactus aliquid facit, id ipsum ex suo officio facere, & officium suum exercere dicendum esse, vt inquit Ioannes Longo- uallius in l. imperium, numero 65. ff. de iurisdict. omn. iudic. & id inquit exemplificari posse in l. 1. eod. titul.

2 Nam ad bonorum possessionem petendam ÷ nul- la à iure cum actio prodita sit, nulla ad immisso- nem in bona aduersarij decernendam, via datur, quàm hæc officij iudicis. Merito hæc omnia & a- lia, de quibus supra diximus, iudex ex mero suo of- ficio exequitur: eademque ratione dicimus & cau- tum etiam est, officio iudicis ÷ nullam obligatio- nem inesse. l. qui per collusionem. §. fin. ff. de act. empt. Quandoquidem vlla si obligatio inesset, actio ori- retur: non autem iudicis officium imploraretur: quod maxime ab æquitate descendit, & proficiscit- ur, & præsertim cum nulla actio competere po- test. l. deducta, in princ. ff. ad Senatuscons. Trebell. & In- stit. de fideicommiss. hered. in princ. Vnde etiam est, fi- deicommissa ÷ olim nullo iuris vinculo, nullaque actione debita fuisse, cum fidem honorati testator sequatur, cumq; fideicommissa olim solo iudicis offi- cio peterentur, & cœpit deinde actio dari. l. Quin- tus, in fine. ff. de annu. legat. & l. hereditas. ff. de petitio. he- red. Et ideo ex prædictis notandum est, ÷ à legibus, municipalibusve statutis, & ab omni actione vel ex- ceptione exclusum, à postulatione officij iudicis nõ excludi. l. plane, & l. fin. vbi notat Bar. ff. de petit. he- red. & iterū tradit. Bar. in l. 1. §. & parum refert. ff. quod vi aut clam. ÷ De multiplici autem iudicis officio, tra- ctat Spec. in tit. de offic. iudic. & Doctores passim in d. l. 1. & Abbas & alij in c. fin. extra de offic. iudic. Quandoq; enim officium iudicis, vicè & loco actionis implo- ramus, vt puta cum restitutio in integrum, vel da-

mi infecti, aut legatorum nomine cautio petitur. Item cum vt bonorum possessio, vt tutoresq; den- tur ad iudicem itur, & cætera id genus: quæ cum causæ cognitionem desiderent, iudiciarius ordo & causarum solemnia obseruanda sunt. d. cap. fin. Hoc autem iudicis officium, quod à iure speciali nomi- ne persecutio, vel extraordinaria cognitio appella- tur. l. pecunia. §. persecutionis. ff. de verb. signifi. & toto rit. de varijs & extraord. cognit. à Bartolo & alijs nobile appellatur: ea vt arbitror ratione, q̄ actioni non deseruiat: sed liberum sit nulliq; rei vel actioni deseruiat. Aliud vero est iudicis officij mercenarium & illud seruum appellant, ob id, q̄ actioni seruiat & obsecundet, alijsve omnibus quæ apud iudicem fiunt persecutionibus, easq; cōmode adiuuat. Iure autem actionis à iudice non exercetur: si quidem actionis iure, iudex actori illud q̄ in obligatione est, & q̄ ex præscriptore ipsius per libellum petitur, dari tradiq; iubet. Causæ vero vel litis adminicula, fructus vt puta vsuras, dilationes, cōperendinationes, cau- tiones, & multa arbitraria iudex ex mero suo offi- cio largitur & adiuuat. l. adiles. §. item sciendū. ff. de adi- lit. edicto. & l. stipulationū, §. iudiciales. ff. de verb. obl. Est etiam animaduertendū eodem officio, quod leges plerunq; religionem appellant, iudicem aliquando di- cunt temperare ac intentionem actoris moderare: atq; ad ea quæ in obligationem deducta non fue- runt, ex æquitate reum compellit, vt expresse sanxit Iustinianus in Instit. de off. iudic. in princ. Conuenit etiam prædictis: & clare & aperte conuenit illud, quod dici solet, tantundē in contractibus bonæ fidei of- ficium iudicis, quod in stricti iuris iudiciis valeret expressa conuentio & stipulatio. l. quia tantundem. ff. de neg. gest. & l. Lucius Titius Sempronio. ff. de pœn. Nam quemadmodum in contractibus bonæ fidei propter æquitatem in eis vberius obseruandam iudex vt maxime fructus, vsuras, ceterasq; accessio- nes alterū alteri ex bono & æquo restituere cōde- mnat: q̄ vix faciat in ex stipulatu actione, alijsq; stri- cti iuris cōtractibus, nisi conuentionis, & expressa verborū postulante. l. consensu. in fi. ff. de actio. & oblig.

CAP. CCCXXIV.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex quando in processu interponere possit, & alia si- milia.

SUMMARI.

- 1 Iudex, an in quacunq; parte iudicij officium suum im- partiri possit.
- 2 Iudex ex officio, an possit opponere exceptiones dilata- rias post terminum partibus prefixum.
- 3 Iudex non repellendo procuratorem ex officio ante li- tem contestatam, an videatur eum approbasse.
- 4 Iudex non probans in termino, an videatur facultati probandi renunciaisse.
- 5 Sententiam interlocutoriam omissam iudex potest vsq; ad sententiam definitiuam supplere.
- 6 Iudex procedendo ad vltiora, an videatur contra- rium pronunciaisse.
- 7 Iudicis officium, expirat, quando agitur de officio iudi- cis circa definitiuam, statim lata sententia.

Quærendū præterea hoc loco est, an iudex ÷ in quacunq; parte iudicij officium suum impar- tiri possit? Hac in re breuiter procedendo ita di- stinguendum est: Aut enim querimus de eo iudicis officio

officio, quod versatur circa ea, quæ in partis persona fundata sunt: aut in iis, quæ in ipso iudice consistunt, & ab eo prorsus pendent. Redeundo ad primum casum & ad ea, quæ in partis persona fundata sunt, & ab ea pendent. Et hoc casu iudex officium suum, quod sanè loco exceptionis opponitur impartiri non potest, nisi intra illum terminum, in quo pars excipere posset. *l. filiusfamilias. §. veterani. & ibi glos. & clarius Bald. ff. de procurat. & tradit etiam glos. in l. ita demum. C. eod. & tradit Ludo. Rom. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium. ff. de dam. infect. vbi etiam Ripa, numero 85. inquit reddi satis dubitabile illud, quod dixit But. & sequitur Panor. in c. pastoralis, in fine, extra de exceptio. dum volunt iudicem ¶ ex suo officio exceptiones dilatorias post terminum partibus præfixum opponere: hoc namq; repugnante text. in d. §. veterani, verum non videtur. Et inde quoq; subdit *ibidem* Ripa videri ex hoc reprobendam Bald. cautelam in d. l. ampliorem. de qua supra fecit mentionem, prout reprobatur etiam Roman. *ibidem*. Nec obstare illud, quod respondet Alexand. dum ait, in casu illius §. cum ¶ iudex ex suo officio ante litem contestatam procuratorem non repulerit, eum appellasse præsumi, propterea quod eadem ratione potest replicari, quod ex quo iudex ¶ in termino non probavit, facultati probandi renunciassè videatur, prout pars ipsa renunciassè intelligitur. Secundo vero casu, in quo tractatur de iis, quæ in iudicis persona fundata sunt, iterum subdistingendum est: Nam aut loquimur de officio iudicis circa interlocutorias, aut circa definitivas sententias: Primo casu aut agitur de interlocutoria lata reuocanda, & tunc refert se ad ea, quæ tradit Bart. & sequuntur Scribentes in l. quod iussit. ff. de re iudic. aut vero agitur de interlocutoria omittenda. & tunc iudex ¶ interlocutoriam omittendam ad sententiam definitivam supplere potest, vt inquit Imola in c. sepe, extra de appel. & Bart. in l. terminato, versic. quero, extra gloss. C. de fruct. & litem expens. & Bald. in l. sancimus, col. 1. C. de iudic. & las. in d. l. properandum. §. si autem alterutra col. pen. C. de iudic. nisi iudex ex eo quod ad vltiora processerit, contrarium pronunciaßè videatur, iuxta tex. in l. a procedente, vbi Bart. C. de dilatio. Secundo casu quando agitur de officio iudicis circa definitivam, & tunc lata sententia iudicis officium expirat. *l. iudex postquam. ff. de iudic.* nisi eadem die circa accessoria. *d. l. Paulus, cum alijs supra deductis.**

CAP. CCCXXV.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex ex suo officio, quando contra iuris formam procedit, debet in expensis condemnare.
- 1 Mittendum etiam non est, iudicem ¶ cum ex suo officio contra iuris formam procedit, debere in expensis etiam condemnare, vt inquit Gem. in c. cum medicinalis, §. superior, num. per illum tex. de sent. ex com. lib. 6.

CAP. CCCXXVI.

Argumentum est in Summario.

SUMMARIUM.

- 1 Iudex cum quis etiam in vna re inobediens est, in omnibus tamen alijs suam iurisdictionem denegare potest.

Et etiam illud adnotandum, ¶ iudicem, vbi-
cunq; quispiam in vna tantum re inobediens
est, in reliquis omnibus suam iurisdictionem de-
negare posse. & si per prætorem. §. sed & si dum decreto.
ff. ex quib. caus. maio. vbi etiam Bart. & tradit Ceph. in
cons. 139. num. 14. volum. 1.

CAP. CCCXXVII.

ARGUMENTUM.

Officium suum iudex impartiri
an & quando teneatur.

SUMMARIA.

- 1 Iudex, an officium suum omnino impartiri teneatur alioquin puniatur.
- 2 Iudex in expensis victum victori condemnare, quando teneatur.
- 3 Iudex negligens punire delinquentes potest, tanquam criminis conscius conueniri.
- 4 Iudex negligens impartiri officium suum potest, officio priuari.
- 5 Salario iudex quando priuari possit.
- 9 Pena negligentis iustitiam administrare, que sit.
- 7 Iniuria inferitur si denegetur officium iudicis: & quid si denegetur actio.

SUCCESSIVE hic querendū est, an Iudex ¶ omni-
no officium suum impartiri teneatur, alioquin
pœna afficiatur? Hac in re Bart. in l. 4. §. hoc autem
iudicium, in 4. oppositione. ff. de damno infecto. vt omni-
no teneatur: alioquin puniri possit, etiam si non
sit imploratum, concludere videtur: cum dicat iu-
dicem officium suum etiam non imploratum, &
præsertim cum miserabiles personas respicit, aut
actum pium impartiri oportere attestetur. & de
hoc videtur gloss. in l. vbi pactum. C. de transactio. & fir-
mat las. post alios ibi relatos à Ripa. Contrariam vero
opinionem tenuit Imola *ibidem*: Dicit enim ipse,
licet leges & iura, quæ adducit Bart. vt teneatur &
possit officium suum exercere, probare videantur;
vt tamen puniatur, non probare dicendum esse:
cum eius officium non est imploratum: Imo si
rectè animaduertatur, contrarium potius proba-
re dicendum esse, vt videtur voluisse *ibidem* Bart. in l. 1.
§. magistratibus. ff. de magistra. conuenien. & ad hoc ad-
ducit illud, quod notat in 5. questione, dum loquitur de
expensis: Nam licet text. in d. l. properandum. §. si au-
tem alterutra. C. de iudic. & gloss. in l. fin. C. quando pro-
uoc. dicat Iudicem ¶ victum victori in expensis cõ-
demnare debere: alioquin puniendum esse. id ta-
men quatenus puniendum esse arbitratur, si peti-
tum sit, intelligendum esse censet, vt inquit Bartol.
in d. §. hoc autem iudicium, in 5. questio. Præterea hanc
conclusionem, quod iudex nõ teneatur, tenet An-
gel. in d. l. si vnus. §. pactus ne peteret, col. fin. ff. de pact. &
Paul. Castrens. in d. l. vbi pactum. C. de transact. & Alex.
in l. vnica, colu. 2. C. vt que desunt aduoca. Item quod
non ardeatur ad supplendum, & ab huiusmodi gra-
uamine appellari non possit, tenet Abbas in c. su-
per hoc, extra de renuncia. & Hieron. Grat. in cons. 16. n. 5.
vol. 2. Verum quicquid pro alia opinione deduca-
tur, Alexand. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, nu. 3. ff. de
damno infecto, Bart. opinionem veriore & proba-
biliorem arbitratur, & eam *ibidem* inquit Angel.
simpliciter sequi, & si vt supra diximus, alibi con-
traria opinioni adherere videatur, optimeq; pro-
bari

bari existimat, per text. *nec quicquam. §. advocatos. ff. de offic. proconsul.* dum ait ibi text. si nemo sit, qui petat, vltro eis dare debebit, &c. Ex quibus verbis expresse colligitur, Iudicem nemine etiam petente, adstringi & compelli, dummodo tamen iudex probabilem ignorantiam prætere non possit, vt inquit Bart. in d. §. hoc autem iudicium, in 5. opposit. Si igitur Iudex nemine etiam petente facere compellitur, merito ex consequenti vt si Iudex negligat, puniatur dicendum est, vt diximus in §. precedenti. Et id subdit ibi Alexand. expresse voluisse Cynum in l. i. quast. 14. de iurisd. omn. iudic. respondendo ad text. in d. §. magistratibus, eodem modo quo Bart. in d. §. hoc autem iudicium, in 5. quæ. Confirmando itaque hanc conclusionem subdit Alexand. non obstare illud, quod habetur in d. l. properandum. §. sin autem alterutra. C. de iudic. propterea quod tex. ille iudicem non adstringit, vbi pars non petit, vt facit text. in d. §. advocatos. & addit etiam ea quæ iterum notat Bart. in l. si vacantia. C. de bonis vacant. lib. 10. cum ex eo tex. dum inquit, diligenter inquireat, &c. colligit Bart. in causis ciuilibus ad publicam vtilitatem tendentibus Iudicem inquirere posse. Et ideo dicit ibi pene esse speciem casus nostri. Et ideo infert ex eo text. ad Episcopos, vt ex eorum officio contra tenentē bona, quæ pauperib. distribuenda sunt, vel aliis piis locis & causis inquirere possint. Addit præterea Alex. ad confirmandam hanc conclusionē gl. in c. cupientes. §. ceterum, in verbo, contumacia, de elect. lib. 6. & alia multa, de quibus nos supra diximus, & sic vt iudex qui officium suum non impartitur, puniatur, concludere videtur. Paul. vero Castrenf. in d. l. 4. §. hoc autem iudicium, num. 3. vt has opiniones concordet, ita distinguendum censuit. Aut enim, inquit ipse, iudex iustam habuit ignorantiam, & non tenetur. d. l. i. §. magistratibus, ff. de magistrat. conuenien. At sciuit, & tunc aut sumus in iis quæ publicam vtilitatem concernunt: & Iudex tunc tenetur, potestque puniri: quandoquidem eum sit procurator Reipublicæ, poterat & debebat se intromittere, vt habetur in d. l. congruit. ff. de offic. presid. & in l. prohibere. §. sciendum. ff. quod vi, aut clam. Aut in iis, quæ priuatam vtilitatem respiciunt: & tunc aut pertinent ad eos, qui petere non possunt, vt puta propter senus vel ætatis defectum: vt puta quia fit furiosus vel impubes: & idem quoque dicendum est, cum in eo quoque casu Iudex possit & debeat. d. l. 3. §. præterea. ff. de suspect. tut. & facit, text. in l. bonorum. ff. qui admit. ad bon. possess. possunt. Aut vero ad eos pertinent, qui vt sibi prouideatur, petere possunt, & tamen non petunt: & tunc licet Iudex etiam non requisitus possit officium suum impartiri, sibi tamen quod non petierint, imputare debent, arg. d. §. hoc autem iudicium. Et ideo inde refert Castrenf. ibidem, ex Doct. intentione Iudicem in expensis condemnare posse etiam nemine petente: si id tamen omiserit, non teneri, arg. l. non quicquid. ff. de re iudic. & voluit Bald. in l. si quis ad declinandam. C. de episc. & cleric. dum existimat legata relicta quibusdam pauperibus Iudicem non teneri, licet possit inquirere, vt supra late dictum est. His præterea Castrenf. dictis ille etiam casus addi potest cum quis est absens: quo casu, vt supra late dictum est, pro eo Iudex quoquo modo supplere tenetur. Ripa autem hac eadem de re in d. l. 4. §. hoc idem iudicium. Castrenf. distinctione omiffa breuius hunc in modum dici posse arbitratur:

Aut enim, inquit ipse, loquimur, cum Iudex impartiri non tenetur, & tunc puniri non debeat, vt habetur in d. §. hoc autem iudicium. Aut impartiri tenetur, & tunc parti læsæ contra eum actio in factum ad interesse detur, vt habetur in Authent. vt differet. iud. §. 1. vel ad id, quod Iudici æquū esse videbitur. l. fin. ff. de varia & extraord. cognit. & tradit Bart. ibid. & in l. i. C. quom. & quan. iudex. & Alex. in precedenti dictum. §. hoc autem iudicium. Et tradit etiam Ias. in §. præterea, col. 2. Instit. de action. Et ideo subdit ibid. Ripa † Iudicem negligentem delinquentes punire, tanquam criminis conscium conueniri posse. l. non solum, & ibi notat Bald. C. de commer. & merca. ac etiam officium suum impartiri negligentem † in casibus in quibus tenetur, suo officio priuari posse. l. si quos. C. de offic. prefect. præ. Et ideo dicunt Doct. nostri, Iudicem contumaces punire negligentem, pœnasve fisco applicare, officiumque suum in exactione debitorum fiscalium † omnibus salariis & emolumentis in officio acquisitis priuari posse. l. iudices. C. de anno. & trib. lib. 10. De pœna † autem negligentis iusticiam ministrare, inquit tradere latissime Paridem de Puteo in tract. syndic. in §. syndicatam etiam officiales ratione denegata vel neglecta iustitia, & in §. negligentia. & nonnulla tradit de his Felin. in c. excommunicauimus, col. 2. extra de heret. Prædictis etiam satis commode accedere videtur illud quod dixit Franc. Curt. iun. in l. i. num. 78. ff. de iurisd. om. iud. autoritate Bart. ibi, nonnunquam denegando officium suum. Iudicem † in eum cui denegat, iniuriam conferre. & † Ias. in §. superest. num. 66. Instit. de action. per ea, quæ voluit Bart. in l. i. ff. de iurisd. om. iud. & est text. & ibi tradit Bart. ff. de aqua quotid. & esti. & late tradit Ias. in d. §. superest. quemadmodum si actio denegetur, semper eum cui denegat, iniuria afficere dicitur, ponderando verbum quædoque, in ea lege positum. Vnde Bart. infert voluisse regulare esse Iudicem denegantem officium suum iniuriam non inferre, ideo regulariter ab eo actu appellationem non dari. Verum contrarium de hoc suadere videtur text. in l. nō quicquid. ff. de iud. cum velit nō quicquid Iudicis potestati committitur, legis necessitati supponi ac subiici: nam ita loquendo in contrarium esse præsupponere videtur, de qua late tradit Felin. in d. c. exceptionem, in 1. & 2. col. 2. extra de excep. Et idem inquit probari ex iis, quæ ipsemet voluit in d. §. i. ff. de iurisd. om. iud. dum ait ab officio denegato appellari l. i. C. si sapius in integ. rest. postul. vbi late tradit Curt. licet Nicol. de Neap. in d. §. superest, post multos antiquos, quos ipse refert, teneat non posse appellari, & tradit Sapia in l. ius dicentis, nu. 49. ff. de iurisd. om. iud. dum dicit Iudicem denegando officium, quandoque actionem vero semper iniuriam inferre.

CAP. CCCXXVIII.

ARGUMENTVM.

Officium suum iudex an in dubio non rogatus impartitus fuisse præsumatur.

SUMMARIUM.

- 1 Officium suum iudicem fuisse impartitum ad partis petitionem, an in dubio præsumendum sit.
- 2 Petitio partis est quadam solemnitas extrinseca, quæ in dubio non præsumitur.

- 3 Petitionem officii iudicis practica in actis describi obseruat.
- 4 Citatio in dubio ad petitionem partis facta presumitur.
- 5 Descriptum in libro mercatoris si quid est, quod ad meas rationes faciat, ad meam petitionem descriptum censetur.
- 6 Testis in dubio ad partis petitionem deposuisse censetur.
- 7 Impensa eius, cuius interest, quid factum esse presumitur.
- 8 Actus magistratus in dubio presumitur.
- 9 Delictum vt euitetur, in dubio capitur presumptio.
- 10 Pro Iudice in dubio presumitur.
- 11 Delicta vbi duo sunt, illa presumptio attenditur, quæ suadet minus delictum.

Quære etiam satis conuenit hoc loco, An in dubio Iudicem fuisse officium suum ad partis petitionem impartitum presumendum sit? In qua dubitatione Ripa in d.l. 4. §. hoc autem iudicium. num. 9. ff. de damno infecto. inquit presumendum ea ratione non videri, quod f partis petitiõ, quæ solemnitas intrinseca est, in dubio non presumitur. l. quæcunque. §. fin. ff. de public. action. & tradit glossa in l. sancimus. in verbo, per contumaciam. C. ad Senatusconsultum Trebellian. Quæ docet practicautes, f vt curent in acta referri, qualiter instante & requirente parte, Iudex suum officium impartitus est. Contrariam autem opinionem, vt omnino officium interposuisse videatur, alii his potissimum rationibus existimant. Et primum, quia citatio f in dubio ad partis petitionem facta presumitur, vt dicunt Butrius, & Panormit. & alii in cap. 1. extra de iudic. Secundo confirmatur etiam ex eo, quod si in libro f mercatoris, aliquid quod ad alterius rationes faciat, descriptum reperitur: ad illius petitionem cuius rationes confirmantur, descriptum presumitur, vt inquit Bal. in l. 2. C. de eden. Tertio comprobatur, quia testis f in dubio ad partis petitionem in dubio deposuisse censetur: non autem vltro, & non requisitus se obtulisse, vt tradunt Domini Rotæ in deci. 372. in nouis, & sequitur Fely in c. 2. col. 7. extra de testib. In hac opinionum ambiguitate Ripa eo in loco primam opinionem veriore arbitrat: vt scilicet in dubio officium suum interposuisse non censetur.

Hæc autem prima opinio limitatur pluribus modis, & primo quando Iudex officium suum in actu requirente impensam impartitus est: nam eo casu presumitur interuenisse seu interpositum esse impensa f eius, cuius huiusmodi impensam fieri interest, per ea quæ tradit Bart. in l. cum seruus. ff. de verb. obligat. per illum text. & per text. in l. fin. C. de aliment. pupil. præstan. Et eadem etiam ratione factum esse arbitrat, quare citatio ad partis petitionem facta censetur: nam ad citationem faciendam impensa necessaria est, l. 1. C. de postulan. & sequitur Felin. alia multa deducens in cap. sicut. col. penult. extra de re iudic. & recentiores in l. sciendum. ff. de verborum obligat.

Secundo arbitror prædictam conclusionem limitari, quando sumus in casu, in quo Iudex officium suum impartiri tenetur: & eo non impartito, in pœnam incidit: Nam in hoc casu in dubio, vt impartitum fuerit, dicendum est: Ratio autem est,

quia f in dubio pro actu magistratus presumitur, & presentia, extra de renun. & l. 2. C. de offic. ciuil. iudic. & l. Herennius. §. Caia. ff. de euct. & tradit Natta in consil. 146. num. 3. vol. 1. & est text. in cap. nostra, extra de procurat. & in cap. quoniam contra. extra de probat. & tradit ibidem gloss. fin. & Port. in consil. 72. num. 9. Comprobatur secundo ex eo, quod presumptio ad f delictum euitandum capitur. l. merito. ff. pro socio. & tradit Bart. in l. non solum. §. sed & probari. ff. de oper. noui nunciat. vbi tradit etiam Alexand. & iterum Alexand. in consil. 52. vol. 3. & Dec. in cap. in presentia, in 2. notab. extra de probat. Præterea f & quarto quod pro iudice presumatur tradit Cephal. in consil. 57. num. 20. vol. 1. Quinto etiam non modicum facit illud, quod dicitur, f quod quando sunt duo delicta, illa presumptio attenditur, quæ minus suadet delictum. l. si preses. ff. de pœnis. & tradit Crauet. in consil. 6. num. 69. & Ruin. in cap. 1. col. 2. in fin. volum. 5. & l. hæc enim. vbi Bart. ff. de suspect. tutor. & tradit Aret. in consil. 31. col. penult. versic. ad secundum. & Alciat. in tract. de presumpt. in 3. reg. presumpt. 6. & late Roland. à Valle in consil. 1. num. 36. 37. & 38. vol. 3. & Menoch. in consil. 98. num. 6. cum aliis vulgaribus.

§. IV.

CAP. I.

ARGVMENTVM.

Generalia quædam de datione in solutum, & de adiudicatione, & in quibus differant.

SUMMARIUM.

- 1 Alienatio genus dicitur, & in duas species diuiditur, scilicet in dationem in solutum, & in adiudicationem.
- 2 Datio in solutum, quando vere dicitur.
- 3 Adiudicatio quid sit.
- 4 Datio in solutum, & adiudicatio, an eundem titulum habeant.
- 5 Adiudicatio dicitur additio.
- 6 Alienatio, quæ fit à debitore per dationem in solutum, dicitur voluntaria.
- 7 Adiudicatio, seu datio in solutum à Iudice, dicitur necessaria & quando.
- 8 Statutum de datione in solutum loquens, an intelligatur de voluntaria, vel de necessaria.
- 9 Datio in solutum facta à iudice dicitur ne alienatio voluntaria, quando fit ob debitum voluntarie contractum, vel necessaria?
- 10 Debitor non dicitur inuitus, cum debeat & possit pactum & conuentionem seruare.
- 11 Dationem in solutum qui accipit, causam ab ipso debitore habere censetur.
- 12 Factum iudicis, dicitur factum partis.
- 13 Actus solet iudicari à causa originalis, à qua assumitur naturam & formam.
- 14 Causa dicitur lucratua vel onerosa, inspecta origine.
- 15 Actio dicitur quid diuersum ab obligatione, ex qua nascitur.
- 16 Effectus varios resultare ex eo, quod datio in solutum iudicialia, voluntaria, vel necessaria sit.
- 17 Successor in datione in solutum necessaria, tenetur stare colonis.